DE TABULIS ALIMENTARIIS

TYPIS CAROLI LAHURE
via dicta de Vaugirard, 9

DE

TABULIS ALIMENTARIIS

DISPUTATIONEM HISTORICAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ERNEST DESJARDINS

LICENCIATUS

PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 5

M DCCC LIV

DE

TABULIS ALIMENTARIIS

DISPUTATIONEM HISTORICAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ERNEST DESJARDINS

LICENCIATUS

PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 5

M DCCC LIV

DOCTISSIMO ET DILECTISSIMO

E. EGGER

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI VICARIO

ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIO

HANC THESIM

DISCIPULUS REVERENTISSIMUS ET GRATISSIMUS

OFFERO

DE

TABULIS ALIMENTARIIS.

Hoc opus aggredienti mihi non in animo est ut, quascumque de jure romano quæstiones alimentariæ Tabulæ moverint, multa de eis verba faciam; sed historicam duntaxat disquisitionem instituturus, sic eam distribui :

1° Ut alimentariorum monumentorum historiam enarrarem, utque libros recenserem quicumque ad hujus argumenti notitiam pertinent;

2° Ut Institutio alimentaria cujusmodi, diversis temporibus, fuerit definirem;

3° Ut quid sint duæ illæ Inscriptiones, de quibus agam, Tabulam dico Veleiatium et Tabulam Ligurum Bæbianorum, singillatim exponerem, et pauca de veterum locorum in utraque notationibus adderem;

4° Ut harum Inscriptionum exemplaria, quarum alteram D. Lopesius primum emendavit, tum ex Lamæ opere et ipsa Tabula ænea ego ipse correxi, alteram ad ejus loci quem *Campolattaro* vocant monumentum exegit vir doctus Mommsenius, typis describenda curarem; ut denique duas ipse tabulas, quarum altera ad pagorum fundorumque enumerationem, altera vero ad hypothecas pertinet, componerem.

PARS PRIMA.

ALIMENTARIORUM MONUMENTORUM HISTORIA ET LIBRORUM AD EA PERTINENTIUM RECENSUS.

CAPUT I.

VELEIATIUM TABULÆ HISTORIA ET LIBRORUM AD EAM PERTINENTIUM RECENSUS, AB ANNO 1747 USQUE AD ANNUM 1832.

§ I. Anno Domini 1747, duo aratores, haud longe a *Macinesso*, qua spectat meridiem Placentia, æneæ tabulæ ingentis fragmenta effoderunt, latinis litteris inscripta. His fragmentis in unum collectis, exstitit Tabula pondo librarum 600, lata pedes octo et octo uncias, alta pedes quinque et uncias novem, quam cum in urbe proxima, *Borgo-San-Donino*, pro æris pondere vendidissent, moxque inventi fama percrebuisset, duo canonici viri, DD. Roncovierus et Costa nihil non tentantes, id assecuti sunt ut singularis ejus monumenti fragmenta redimerent. Nonnulli antiquitatis investigatores rem explanare conati sunt, atque ita factum est ut, anno 1748, prima de ea mentio vulgaretur. Aliquid autem de ista tabula, in Archæologicis diurnis Romæ, scripsit R. P. Contuccius.

§ II. Jam vir doctissimus Maffeius, ægre ferens rem ab alio esse occupatam, non dubitavit diem antiquiorem adscribere litteris quas ad D. Zenum misit, in quibus copiose de Inscriptione apud Macinessum inventa disputabat. Idem vero, dum istis litteris anni 1747 novembris 22^am diem adscribit imprudens, fraudem suam ipse professus est, scilicet de ea scripsisse se testatus antequam tabula ipsa lucem vidisset. Neque eo minus studuit, ut in libro, qui Museum Veronense dicitur, anno 1749, tota atque integra Tabula describeretur; quod quidem ita factum est ut multis mendis editio illa abundaret. Nonnulla tamen editor de Inscriptionis orthographia docte observata subjecit.

§ III. Inscriptionem, eodem anno, edidit, Florentiæ Tuscorum, Antonius Fr. Gorius[1].

1. Exemplar Tabulæ Trajanæ pro Pueris atque Puellis Alimentariis reipub. Veleiat. in Italia institutis, etc. Florent. 1749.

§ IV. Commentarios suos de Inscriptione protulit eodem anno Muratorius, in quibus magnam vim doctrinæ expromit, quanquam ille Trajanum institutionis alimentariorum facit auctorem, quam hodie Nervæ auctori esse adscribendam novimus; quod quidem opusculum repetiit Gorius in Symbolis litterariis[1].

§ V. Sed Inscriptionis fama apud Gallos pervaserat, et doct. Terrassonius eamdem integram protulit, anno 1750, quum plurima hujusmodi instrumenta Historiæ suæ juris civilis subjungeret.

§ VI. Eodem ferme tempore, in suis Placentiæ Annalibus Poggialius nonnihil de Tabula Veleiatium scripsit.

§ VII. Anno 1757 Conr. Stiglitius opusculum de alimentaria Tabula Altorfii edidit[2]; in quo, quod ad jus romanum pertinet, propius ad certam rei explanationem quam superiores illi videtur accedere. Hunc autem libellum Lamæ fuisse ignotum puto[3].

§ VIII. Donatus et ipse iis ferme temporibus Tabulam Veleiatium exhibuit in suo Thesauro[4].

§ IX. Dum hanc rem docti homines agunt, anno 1760, maii 18ª die, epistolam de Tabula ad Parmensis imperii ministrum Costa canonicus scripsit, quæ fuit pervulgata. Eodem anno, 3ª die junii, ad eumdem ministrum litteras misit Poggialius. Ejusdem autem mensis 5ª die, ad can. Costam rescripsit minister. Eodem anno, 8ª die junii, rescripsit ipse can. Costa. Inscriptionem enim, postquam diversæ æneæ tabulæ partes apte coagmentatæ fuerunt, Infanti Philippo, Parmensi duci, eodem anno 1760, can. Costa obtulerat. Inde in Farnesio palatio collocata est.

§ X. Nondum tamen quisquam id erat assecutus ut Tabulam recte inter-

1. Dell' insigne Tavola di bronzo spettante ai fanciulli e fanciulle alimentarj di Trajano Augusto nell' Italia, dissotterrata nel territorio di Piacenza, l'anno 1747. Intera edizione. Esposizione fatta da Antonio Lodovico Muratori, etc. — Legitur hæc dissertatio in *Symbolis litterariis* Gorii, vol. V, qui et ipse expositioni Muratorii præmisit supra scriptum exemplar, sic iterum pervulgatum, eodem anno 1749.

2. De usu ac præstantia Tabulæ Trajanæ in jure romano præfatus auspicia muneris juridici in Academia Altorfina a. d. XI novembr. CIↃ IↃCCLVII solemniter capienda adnuntiat Jo. Conradus Stigliz. jur. utr. doct., etc.

3. Ernestum Spangenberg non latuit : Juris romani Tabulæ negotiorum solemnium. *Lipsiæ*, 1822, VII, Miscellanea, LXVII, p. 308.

4. Thesaur. novissim. inscript. græc. et lat. T. II, p. 437, § 9 (1765-1775).

pretaretur[1]. Hoc pro certo habebatur : in ea quasi indicem contineri fundorum, simul cum possidentium nominibus, et cujusque fundi æstimatione sestertiis expressa ; eosdem fundos in pagos fuisse distributos, pagos autem ad quinque civitates, Veleiam, Placentiam, Parmam, Libarnam, Lucamque referri debere ; ibi denique de Trajani Imperatoris erga pauperum legitimos pueros munificentia tractari ; jam Inscriptionem illam, si tota dilucidaretur, lumen multis maximi momenti quæstionibus esse allaturam ; atque inde notum fore quemadmodum, apud Romanos, egenorum miseriæ sublevandæ provisum esset, quæ mox ab Imperatore in coloniis aut municipiis ejusdem rei causa instituta essent.

§ XI. Ceterum in Tabula fuerat animadversum sæpius de Veleia quam de ceteris civitatibus fieri mentionem. Geographi autem hactenus aberraverant conjicientes quis esset ejus civitatis Veleiæ situs, de qua Livius[2], Pliniusque[3] scripserunt, quamque Cluverius[4] declarat nusquam reperiri posse. Philippo igitur, Infanti regio, venit in mentem ut, quibus in locis detecta fuerat Inscriptio, ibi solum effoderetur. Hoc autem anno 1760, quum huc ipse, operis inspiciendi causa, princeps se contulisset, in his desertis regionibus ligneam casulam exstruendam sibi curat. Rei gerendæ et effodiendo solo præficitur can. Costa ; diebusque non ita multis, recluditur et agnoscitur Basilica primum, mox Forum, Ærarium, Sacrum Comitium, Domus Pontificis, Templum Jovis, alia satis multa unde agnosci poterat civitatem ad primam Cæsarum ætatem pertinere. Jam apparebat Veleiam esse civitatem : exstant adhuc certa vestigia viarum diversas cœli partes spectantium, ænea et marmorea monumenta præclaram aureæ

1. Doct. Conradus Stiglitius cujus rarissimum opusculum est et, pro doctrina, nimis ignotum, institutionis ipsius fere ad veram explanationem accessit, sicut ex illo fragmento manifestum : « Misericordiæ et humanitatis adfectu, Trajanus Augustus, ut pauperibus provinciarum Italiæ, ita præcipue soboli egenæ Veleiati opem laturus, stipem in ejus alimenta ingentem erogare decreverat. Quum vero Imperator haud sine ratione metueret, ne successores Augusti alimenta illa inania redderent atque irrita : possessoribus prædiorum Velejatibus, prudentissimo consilio, maximas pecuniarum summas, non ærario publico, nec fisco Imp. sed de suo solvit, quo prædia et fundos suos profiterentur, et obligarent vectigali privato, unde alimenta haberent pauperes commemoratæ civitatis pueri puellæque, qui propterea alimentarii in Tabula nostra nuncupantur, rectius alumni. »

2. Liv., l. XXX, c. x, et l. XXXII, c. xix et xxi.

3. Plin., l. III, c. v, et l. VII, c. xlix.

4. Cluver. Italia antiqua, l. I, c. x, § ix.

ætatis notam artemque optimam declarantia : utriusque Agrippinæ, Germanici, Neronis infantis atque etiam Faustinæ simulacra eximia. Nulla vero Christianorum vestigia; nihil inventum quod post Constantini ætatem videretur fuisse erectum aut signatum, excepto tamen numismate quodam Leonis I effigiem ferente, quod quidem ad veterem Veleiam minime spectans, sed potius cum thesauro aliquo videtur in terram, circa quintum sextumve a Christo nato sæculum fuisse defossum.

§ XII. Qui autem fieri potuit ut tota civitas sub aggestu terræ decempedali subito evanuerit obruta, neque ullus exstiterit historiæ scriptor qui rem adeo miram commemoraret? Si quis hujus rei causas diligenter investigaverit, si soli naturam attentius, quæ sit et in valle et in proximo montium clivo quibus continuatur Apenninus, perspexerit, lacum quemdam olim in edita montis parte velut in cratere inclusum fuisse censebit. Has scilicet terras minime stabiles firmasque aquæ lente alteque subederant. Jam quodam die, lacus iste, ruptis impedimentis, præceps et in modum torrentis subito effusus, glebas et illisa saxa secum rapiens, uno temporis articulo, loca subterjacentia videtur oppressisse. A quo die, tristia hæc loca in vastam solitudinem mutata sunt, ubi vix unus et alter oberrat caprarius. Inde etiam nunc *Rovinazzo*, seu mons ruinæ, jugum istud appellatur.

§ XIII. Anno 1760 effossa primum fuisse Veleiatis agri rudera superius dixi. Nec cessavit usque ad annum 1765 effodiendi labor. Iterum anno 1770, mox anno 1775, deinde anno 1801 versari solum et denuo interrogari cœpit. Postremo annis 1842[1] et 1843, rursus scrutandis ruderibus d. Lopesius ipse præfectus est.

§ XIV. Quum autem virorum doctorum, quicumque in Italia erant, ea rudera, quæ apud Veleiam effodiebantur, diligentiam magis ac magis excitarent, si qua ibi reperta fuerat inscriptio, huic explicandæ summo cum studio incumbebant; neque ea res ad Trajanæ Tabulæ cognitionem mediocris fuit auxilii. Hoc enim inprimis studuerunt ut ex titulis istis nova veluti fax quædam accenderetur quæ in Veleia civitate, cujus pagorum fundorumque adeo frequens est in magna illa inscriptione mentio, vel minimas locorum partitiones illustraret. Ab anno igitur 1764 usque ad 1768, quinque epistolas Lamius edidit[2], in quibus locorum rationem quæ sit explorat,

1. Lettera del sig. Michele Lopez al celebre ed illustre conte Bartolommeo Borghesi a S. Marino : Bullettino dell' Institut. di corrisp. archeol., novembre 1842.

2. Novell. lettere, 1764, nº 34; 1768, nos 24, 25, 30, 31.

atque id agit ut fundos, de quibus in Tabula sermo est, non Placentinæ sed Lucanæ regionis esse probare velit; seque profitetur plane demonstraturum multis Tuscis et Lucensibus locis nomina eadem etiam nunc inhærere quæ in Tabula describuntur.

§ XV. Muratorius opusculum supra scriptum iterum vulgavit, anno 1767 [1].

§ XVI. Hic operi locus assignandus est, quod reliquit ipse can. Costa, vir effodiendo Veleiati agro præfectus, qui quidem tres libros reliquit αὐτογράφους, in quibus, quo et tempore et modo fuerint apud Veleiam, tot rudera detecta narrat singillatim, quidquid autem aliqua memoria dignum inde fuerit effossum graphice designat, quod opus nondum pervulgatum, Parmæ, ut videtur, in aliquo angulo etiam nunc delitescit.

§ XVII. Anno 1775, Lucæ, P. Vincentius Poggius Litteras pervulgavit [2], in quibus ut multa alia, quæ minus recte exponit, omittam, hoc certe monebo eum ipsis fundos possidentibus munificentiam adscribere.

§ XVIII. Anno 1776, Taciti operibus adjunctam Appendicem chronologicam edidit Broterius, in qua breviter de Veleiatium Tabula commentatus est et Inscriptionem ipsam protulit [3].

§ XIX. Anno 1788, vir magnæ doctrinæ et acuti ingenii Zacynthus Cara, Vercellis, libellum protulit, hodie rarissimum [4], in quo, præter ipsam Tabulam, etiam locorum, quæ in Tabula indicantur, habes descriptionem. Fundos autem omnes circa Veleiam sitos fuisse putat, pagos qui in alimentaria Inscriptione designantur, fundosque, quem locum habuerint, reperisse se contendit, idque geographica formula descriptum lectoris oculis subjicere non dubitat [5].

§ XX. Eodem anno, libellum ejusdem argumenti Augustæ Taurinorum Pitarellius edidit [6]. Duobus annis elapsis, idem scripsit multa de locis geographicis Jos. Pitarellius Astius [7]: opus illud est in quinque partes distri-

1. T. III, *Arezzo*.

2. Lettere ragionate d'un accademico oscuro. *Luca*, 1775.

3. *Paris*, 7 vol. in-12, 1776, secunda edit.; prima editio, 1771, 4 vol. in-4.

4. Dei paghi dell' agro Veleiate nominati nella Tavola Trajana alimentaria che si conserva nel museo di Parma. *Vercelli*, MDCCLXXXVIII.

5. P. 93-130.

6. Idea della spiegazione della Tavola alimentaria di Traiano. *Torino*, 1788.

7. Della celebratissima Tavola alimentaria di Traiano, spiegazione fatta da Secundo Giuseppe Pitarelli d'Asti. *Torino*, 1790.

butum, in quo quis fuerit largitionum auctor exquirit, et unicuique suam civitati, pago fundoque sedem assignare studet; quosdam Placentiæ et Veleiæ pagos ad imas usque Alpes, qua spectat Augusta Taurinorum occidentem, transferendos esse arbitratur[1]. Pitarellii tamen liber nonnihil veri continet, et quamvis Caræ operi primum locum assignem, verum, ut plerumque fit, inter utrumque in medio deprehendi infra ostendam. Integram Tabulam Pitarellius etiam protulit.

§ XXI. Anno 1808, Wolfius, in doctissimo libello de Institutione alimentaria disputavit, et in appendicibus totam Inscriptionem exhibuit[2].

§ XXII. Anno 1809, a viro summo F. C. Sabiniaco pervulgata fuit commentationis Wolfianæ censura[3].

§ XXIII. Annis 1809, 1810, 1811, Paufler edidit Commentationem doctrina et judicio eximiam, in qua anaglyphum opus *Villæ-Albani* de Puellis Faustinianis alimentariis exhibet et interpretatur[4].

§ XXIV. Per istas doctorum disputationes sic Trajanæ Tabulæ fama percrebuerat, ut proximo desinente sæculo, eam Gallicæ legiones, quasi magni pretii prædam, arripuerint, et magnis impensis Lutetiam miserint. Ibi diligenter usque ad annum 1815 servata fuit[5]; dein Parmam relata et Farnesio palatio reddita.

§ XXV. Jam ante annum 1800, Petrus Lama, Museo duc. Parmensi præfectus, ad fidem æreæ tabulæ Inscriptionem exscripserat, quod quidem exemplar ipse vidi, mendosum sane et ab ipsa scriptura valde diversum : cujusquidem vera descriptio quam vulgo *fac-simile* dicimus, etiam nunc de-

1. Pitarellii rationem ille facile sibi animo effinget, qui in Tabulam meam geographicam conjecerit oculos, quam inter alias de antiqua Italia, duce et auspice doctissimo Walckenaerio, ipse descripsi. Nempe ego qui tam insignem virum secutus vera semper attigissem, illud profiteri non vereor me in hoc proprio virium mearum periculo rationem iniisse quam esse falsam hodie constat. Cf. Geogr. anc. hist. et comp. des Gaules cisalp. et transalp. *Paris,* 1839, t. II, part. III, ch. VII, p. 457 et suiv., et E. Desjardins, Atlas géographique de l'Italie ancienne, pl. VII. L. Hachette et Cie. *Paris*, 1852.

2. Von einer milden Stiftung Trajans, etc. *Berol.*, 1808.

3. Heidelberger Jahrbüchern der Litteratur, Jurisprudenz und Staatswissenschaften. *Jahrg.*, 1809, p. 254-261.

4. Quæstio antiquaria de Pueris et Puellis alimentariis. Edidit M. Christianus Henricus Paufler, Scholæ ad ædem S. Crucis Rector. *Dresdæ*, MDCCCVIIII.

5. Mentionem hujus singularis monumenti Millinus fecit, Voyage en Piémont, à Nice et à Gênes, *Paris*, 1816, t. I; vide notam pag. 109.

sideratur. Temporis angustiæ obstiterunt quominus quidquam præter primi tituli versus primos ad ipsius æris scripturam exactos chartis atque inde typis repræsentarem. Idem Lama, anno 1818 libellum vulgavit[1]; mox, anno sequenti, magnum de Veleiatium Tabula opus protulit[2]. Nemo verius, nemo aptius de ea re adhuc scripserat, nulla tamen locorum habita ratione. Quo res alimentaria spectet nondum intellexisse Lama videtur, licet eam accuratissime perpenderit. Locorum situm negligit; Caræ autem non videtur sententiæ favere, et Lamii, Poggii et Pitarellii opinionibus haud immerito adversatur. Hoc vero opus eo se maxime commendat, quod multa de vectigalibus auctor observavit, quod verba Inscriptionis et ea quidem truncata explanavit, quod in plerisque se fidum et diligentissimum præstitit interpretem. Nemo, ante Lamam, rem absolutius excussit; in quibus autem peccat inscius, ea me spero diligenti opera correcturum.

§ XXVI. Anno 1822, Ernestus Spangenberg Tabulam ipsam mendose cum breviori commentario ac recensu librorum ad Tabulam spectantium, in quo quidem plura omissa sunt, protulit[3].

§ XXVII. Eodem tempore, de alimentariis institutionibus, præcipue de Veleiatium Tabula, pauca commentatus est Hegewischius[4].

§ XXVIII. Anno 1831, G. Antolinius vulgavit librum de solo Veleiæ effosso, necnon et de veteri illius civitatis statu[5].

§ XXIX. Ex his omnibus quæ doctorum hominum industria explanandæ Veleiatium Tabulæ causa congesserat, jam apparebat quot quæstiones ad fisci rationem et rem, si verbo uti liceat, hypothecariam pertinentes quæstio illa complecteretur. Jam suspicati erant nonnulli cujusmodi esset publica

1. Iscrizioni antiche collocate ne' muri della scala Farnese e spiegate da Pietro Lama, prefetto del Museo. *Parma*.

2. Tavola alimentaria Veleiate detta Traiana, restituita alla sua vera lezione da Pietro Lama, prefetto del ducal Museo, con alcune osservazioni dal medesimo. *Parma*, 1819.

3. Juris romani tabulæ negotiorum solemnium, modo in ære, modo in marmore, modo in charta superstites, etc., ed. Ernestus Spangenberg. *Lipsiæ*, 1822.

4. Essai sur l'époque de l'histoire romaine la plus heureuse pour le genre humain, par Hegewisch, traduit de l'allemand par Ch. Solvet, 1834, in-8. Note 5, fin du vol.

5. Prior editio prodiit anno 1819. Editio posterior titulum habet : Le Rovine di Veleia misurate e designate da G. Antolini, professore d'architettura. *Milano*, 1831. Rursus autem, ut supra dixi, scrutandis ruderibus, annis 1842 et 1843, D. Lopesius, præfuit. Inde fit ut in adumbrata ab Antolinio descriptione aliquid desideretur, quoniam eum ultimi illi labores latuerunt.

illa liberalitas. Jam videbant judicari posse aliter quam antea factum erat de vectigalium agrorum statu, ac de agro publico, qualis in coloniis esset; tum de magistratibus diversis alimentariis, quæ munera eorum essent; denique de municipali constitutione, quatenus ea ad Cæsarum leges pertineret. Sed totam hanc materiam recens quoddam inventum mox nova luce illustravit.

CAPUT II.

UTRIUSQUE INSCRIPTIONIS HISTORIA ET LIBRORUM AD EAS PERTINENTIUM RECENSUS AB ANNO 1832 AD ANNUM 1853.

§ I. Anno 1832, *Campolattari*, in quodam Neapolitani regni oppidulo, haud longe a Benevento, reperta est in *Di Agostini* villa, altera inscriptio alimentaria quæ ad Ligures Bæbianos pertinebat. Huic quarti Trajani consulatus annus legitur adscriptus, annus scilicet p. Chr. centesimus primus, unde constat eam duobus annis Veleiatium Tabula fuisse antiquiorem, in qua ex cognomine *Dacici* apparet, subjecta demum Dacia scriptum fuisse titulum, id est centesimo quarto post Chr. anno.

Illa quidem Inscriptio Bæbianorum, injuria temporis exesa, atque maxima sui parte truncata, vix legi poterat. Kellermannus, vir doctrina insignis, qui tantum Romano quod dicitur Archæologico Instituto decus attulit, hujus Inscriptionis exemplum sibi parare frustra conatus erat; cujus inventi prima mentio in Archæologici Instituti Romani, novembri mense anni 1832, publice facta est [1].

§ II. Guarinius autem primus aliquot fragmenta Inscriptionis edidit, anno 1833 [2].

§ III. Anno 1835, nova mentio Inscriptionis Bæbianorum facta est in Actis menstruis ejusdem Instituti [3]. Eodem anno ac mense ac sequentibus annis, nonnihil de Alimentariis dilucide, ut solet, summus vir Burghesius exposuit in Actis Instituti ac præsertim de Ligurensi Tabula disputavit. Excerpta pauca, quæ in ipsius manus venerant, interpretatus est, et tituli scripturam restituit. Alias inscriptiones de re alimentaria vir ille doctissi-

1. Bullettino dell' Instituto di corrispondenza archeologica. Novembre, 1832.
2. Commentario XVI°. *Napoli*, 1833.
3. Bullettino. Settembre, 1805.

mus explicuit et de ipsa institutione multa addidit; quæ quanquam breviter omnia, tamen huic operosæ quæstioni magnum inde lumen affulget[1].

§ IV. Anno 1840, Guarinius novum fragmentum Inscriptionis Bæbianorum protulit cum commentariis[2].

§ V. Jam, anno 1845, Campolattarum se contulit vir clarus Brunnius, unus e sociis Instituti Archæologici, ut Dr Agostini monumentum exploraret; quo absente, quum uxor ejus d. Brunnium benigne et italica quadam comitate excepisset, tantam ille artem adhibuit, ut brevi expurgaretur Inscriptio, ejusque litteræ, rubigine exesæ, ad lucem revocarentur, atque, triduo, nitida fieret Tabula simul et lectu facilis. Quum ex illa descriptum apographum d. Brunnius Romam retulisset, D. Agostinus domum revertitur. — Unus autem ex amicis ejus R. P. Garruccius, ne id Romani laudis præriperent ut Inscriptionem a Brunnio restitutam priores proferrent, eamdem describere festinavit, paucisque diebus, mira quadam celeritate, monumentum ipsum, tabulam graphicam, et *fac-simile* tituli delineavit, commentarios etiam a se scriptos excudit et vulgavit[3]. Mox autem pœnituit eum nimiæ festinationis; mendis enim scatebat Inscriptio quam expresserat, additæque explanationes, quas et ego ipse Romæ vidi, hominem imperitum et indoctum arguebant; cujus inconsultam diligentiam primum in medio ipsorum cœtu, quem mense maio habuerunt, derisere romani academici[4]; mox libellis, eodem mense, vulgatis Garruccii opusculo rescriptum est, cujus nulla pars intacta permansit[5].

§ VI. Ut revertar ad Veleiatium Tabulam, anno 1837, in Historia sua Trajani, de Alimentariis nonnulla Frankeius jam satis vulgata repetiit[6].

§ VII. Doctissimus magister meus Walckenaerius, anno 1839, aliquid de Geographia Veleiatium operi suo de Geographia veteris Galliæ inseruit[7].

1. Bullett. Settembre, 1835; *id.*, 1839, p. 155; *id.*, 1844, p. 126, in quo multa præclara de præfectis alimentariis.

2. Commentario XIX°, vel IX°, secundæ editionis, p. 6-16.

3. Antichità dei Liguri Bebiani raccolte e descritte dal Rafaelle Garrucci della compagnia di Gesù. *Napoli*, 1845.

4. Bullett. Majo, 1845, adunanze.

5. *Id. Ibid.*, suscriptæ sunt litteræ : M. T. R.

6. Zur geschichte Traians. *Gustrow*, 1837.

7. Géographie ancienne, historique et comparée des Gaules cisalp. et transalp., par le baron Walckenaer. *Paris*, 1839, t. II, part. III, ch. VII, p. 457 et suiv.

§ VIII. Anno 1842, d. Jos. Vitalius de Tabula Veleiatium opus singulare Placentiæ edidit[1].

§ IX. Anno autem 1843, doctus vir Lopesius, Parmensi Museo præpositus, in epistola ad clarissimum virum Burghesium scripta, quid hæc significant in Inscriptione sæpe repetita verba : *Accipere debent* vel *debet*, exposuerat[2].

§ X. Rem alimentariam, tot operibus, ac maxime doctis Burghesii curis illustratam, exeunte demum anno 1845 tractandam suscepit Henzenius[3], vir in his studiis versatissimus. Alimentariam autem institutionem ita exposuit, et de monumento ipso Ligurum ita commentatus est, ut nihil vel melius vel perfectius de ea re recentiorum doctrina afferre potuerit. In illa autem doctorum sermonum liberalitate, qua me excepit, ex qua quidquid frugi percipiendum erat decerpere sum conatus, tanta fuit benignitas ejus ut quibus in inscriptionibus a se relatis ipse peccavisset, ultro indicaret[4]. Inscriptionem autem Ligurum, qualem d. Brunnius attulerat, edidit, in quam menda multa irrepserant, quæ sustulit Mommsenius.

§ XI. Jam, anno 1846, R. P. Garruccius, edito opere de eadem materia, alterum Inscriptionis apographum, multis illud mendis vitiatum, æreis formulis expressit[5].

§ XII. Anno 1847, epistola doctissimi Mommsenii vulgata est in qua mentio fit de recognitione Bæbianorum Tabulæ, quæ mendosa prolata erat[6]; in Actis iisdem R. P. Garruccii opus quam longe a vero absit de-

1. Giuseppe Vitali. Lettere che descrivono un' opera la quale illustra la Tavola degli alimentari di Velleja, e tesse le memorie dell' origine dell' incremento ed esterminio di quella città. Parte prima, che tratta della natura degli atti contenuti in quella Tavola, in-8°. Piacenza, dai torchi di Antonio del Maino. 1842.

2. Bullett. 1843.

3. Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica. 1845.

4. Exempli gratia notandæ sunt inscriptiones : E ACASTO, etc., § VIII; illa quæ incipit his vocibus IIVIR · PRAEF., etc.; quæ eodem §° PROC · ALIMON; quæ autem in §° XIII°, incipit istis verbis SEX · MINIO, etc., quæ non adulterina tota est, sed verbum COL quod octavo versu inscriptionis detrahendum.

5. Monumenta reipublicæ Ligurum Bæbianorum in Bæbianis ruinis aut locis vicinis reperta, cum disquisitionibus in ἀντίγραφον tabulæ æneæ alimentariæ reip. ejusdem, cura Raphaelis Garruccii sodalis soc. Jesu. *Romæ*, 1846, fol.

6. Bullettino. Nova revisione della Tavola alimentaria de' Liguri Bebiani. *Gennaio*, 1847.

monstrat Henzenius[1]. Eodem anno, Neapolitanis Actis archæologicis observationes Henzenianas inseruit R. P. Garruccius[2].

§ XIII. In Actis autem Instituti romani, eodem anno[3], scribit et ipse Mommsenius quis esset, in Hirpinorum regione, locorum situs, notat quædam singillatim, pauca de Ligurum Bæbianorum locis, summo cum judicio et magna doctrina, exponit.

§ XIV. Anno 1849, Henzenius aliquid adjecit de administratione alimentaria suis observationibus anno 1845 vulgatis[4]. Jam et inscriptiones aliquot ex opere d. Violæ[5] protulit. — In Bruxellarum autem Annalibus nonnihil scriptum est quo Henzenii de hac re doctrina impugnatur.

§ XV. Anno 1850, Carolus Zell, in Delectu suo Inscriptionum romanarum, pauca de Alimentariis disseruit, libros multos recensuit ad hanc rem pertinentes, specimenque utriusque inscriptionis præbuit[6].

§ XVI. Anno 1852, totam Tabulam Ligurum primus, plenius quam antea fieri potuerat, expurgatam emendatamque in magno illo corpore inscriptionum Neapolitanarum edidit Mommsenius[7].

§ XVII. Denique in libro quem, post Beckerum insigni diligentia perficit Marquardtius, aliquid legitur de alimentaria institutione, brevissime quidem sed accuratissime scriptum. Ibi fit de utraque Tabula mentio, nec non et indicatur quidquid fuit eadem de re prius vulgatum[8].

§ XVIII. Quibus et addenda sunt nonnulla quæ ad alimentariam institutionem pertinent opera, quanquam eorum tituli de aliis etiam rebus ibi disputatum esse declarant, sicuti sunt opera Spanhemii[9], Pi-

1. Bullett. *Gennaio*, 1847, p. 8.

2. Bullett. Napol. n° LXXIX, p. 69.

3. Bullett. rom., 1847, novembre.

4. Additamenti e correzioni all' articolo sugli alimenti pubblici dei Romani. Annali dell'Instituto di corrispondenza archeol. 1849.

5. Tivoli nel decennio dalla deviazione del fiume Aniene nel traforo del monte Catillo ecc. con la serie di antichi monumenti scritti.

6. Delectus inscriptionum romanarum cum monumentis legalibus, edidit Carolus Zell, professor universitatis Heidelbergensis. *Heidelbergæ*, MDCCCL. — *Id.* Handbuch der Rœmischen Epigraphik, *Heidelberg*, MDCCCLII, l. II, p. 292.

7. Inscriptiones regni Neapolitani latinæ. *Lipsiæ*, 1852.

8. Handbuch der rœmischen Alterthümer, III. Theil, II. Abtheilung (1853) : Der Staatshaushalt, II. Abschnitt : Die Ausgaben des Staates (p. 112-118).

9. Spanheim. De usu et præstantia numismatum dissert. II, p. 543.

tisci[1], Johannis Berger[2], Masdeui[3], Rubenii[4], Bergstrœseri[5], Zimmermanni[6], Daneti[7], Van-Dalii[8], Hemmeri[9], Kappii[10], Sartii[11], Crameri[12], Forcellinii[13], Francisci Nicollii[14], Paulyi[15].

1. Pitiscus. Lexicon antiquit. rom., t. III, p. 210.

2. Joh. Guil. Berger, in stromat. acad., p. 585, et sq. de præstantia munificentiæ aliment.

3. Masdeu. Historia critica de España, t. V, p. 129 à 270. Tabulam ipsam protulit cum commentariis.

4. Rubenius. Elect., l. II.

5. Bergstrœser. Realwœrterb. s. voce *Aliment.*

6. Zimmermann nonnihil de alimentaria institutione edidit in Florileg. philol. hist. Misen, 1687, p. 89, antequam inventa esset Veleias Inscriptio.

7. Danet. Dict. antiq. *Amstel.*, 1701.

8. Van Dale. Dissert. IX antiquitatibus et marmoribus græcis et rom. inscr. inservientes *Amstelod.*, 1702, diss. Iª, c. 11.

9. Lud. de Hemmer. Dissert. de pueris atque puellis alimentariis. *Hauniæ*, 1733.

10. J. E. Kappius, de aliment. *Lips.*, 1735.

11. Sarti. De Antiqua civitate Cupræ montanæ. *Pisauri*, 1748.

12. Andr. Guil. Cramer. De pubertatis termino ex disciplina Romanorum. *Kilon.*, 1804.

13. Totius latinitatis Lexicon consilio et cura Jacobi Facciolati, opera et studio Ægidii Forcellini, alumni seminarii Patavini, lucubratum. *Schneebergæ*, 1831. Editio in Germania prima. Vid. vocabula diversa ad rem alimentariam spectantia.

14. Francesco Nicolli. Riscontri e note di alcune carte topografico-moderne degli stati ducali di Parma, Piacenza e Guastalla, per servire d'illustrazione agli oggetti di topografia antica degli stati medesimi, in-16°. *Piacenza*, della tipografia del *Maino*, 1830. — Archeologia universale Parmense, Piacentina e Guastallese, arricchita di documenti e di figure dell' abbate dottore don Francesco Nicolli, canonico degli antichi di Massa nella collegiata di San Fiorenzo di Fiorenzuola. Prefazione, introduzione, indice analitico dell' opera, in-16°. *Piacenza*, dai *fratelli del Maino*, 1834.

15. Pauly. Real-Encyclopædie der classischen Alterthumswissenschaft. *Stuttgart*, 1837. Art. *Aliment.*

PARS SECUNDA.

IN QUA QUÆRITUR INSTITUTIO REI ALIMENTARIÆ QUÆ FUERIT.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONIS ALIMENTARIÆ ORIGINE USQUE AD IMPERATOREM TRAJANUM.

§ I. Reipublicæ temporibus, apud Romanos, pauperrimis civibus, publico sumptu, gratuitæ largitiones impertiebantur. Præterea, quod omnibus notum, patronorum jussu dabantur sportulæ clientibus. Inde dignoscitur publica altera, altera privata liberalitas. At nihil, ut videtur, in ejusmodi largitione, certi, nihil quod aliquid in se legitimæ institutionis haberet. In consuetudinem res verterat, immo in corruptelam, quum privatus quisque dives mendicantium servili et otioso agmine stiparetur.

§ II. Publica autem liberalitas majus etiam Romæ damnum afferebat; quæ quum fieret populi nomine, similitudinem juris aliquam præ se ferebat, eoque fiebat plebi gratiosior. Has ut gratuitas divisiones componerent, Julius Cæsar et Augustus continuo et frustra laborarunt : crevit enim labes nedum minueretur[1]. Frumenti certe pretium frumentariis legibus constituere cœperunt. Eorum vero successores[2] in plebem dona omnia *missilium* et *congiariorum* nomine congesserunt. Huic autem divisioni jam tum scriptas fuisse leges, certe Trajano principe accessisse notandum est : etenim si qua fides est Plinii verbis, vel ultra modum laudantis, addenda, Trajanum accepimus curavisse ut eorum nomina inscriberentur, qui vel minimæ

1. « Augustum congiaria populo frequenter dedisse, ac ne minores quidem pueros præteriisse, quamvis ante, non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. » Sueton. Aug. 41. — Cf. Casaubon ad Spart. Hadrian. 7. — « .... τῷ δὲ δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς πρότερον μὲν τοῖς ἐς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ, διὰ τὸν Μάρκελλον...., etc. » Dio Cassius, L, c. 21.

2. Sueton. Neron, 11. — Cf. nummum quem exhibet Oiselius de Neronis liberalitate, tab. LXXIV, 5. — Tacit., Ann. XIII, 31. — Dio Cassius, LXI, 18. — Eckhel. Doctr. num. vet., vol VI, p. 271. — De Tito autem, Dio Cassius, LXVI, 19. — Cf. Oisel., tab. LXXIV, 6.

ejusdem liberalitatis fuissent participes; quod quidem antea non fuisse factum eodem testimonio comprobatur[1].

§ III. Puerorum autem nomina quibus opitulabatur Imperator tributim inscribebantur, ut inscripti jam ista liberalitate quasi jure suo fruerentur. Admodum simplex illa largiendi ratio, quum nullum magistratum peculiarem[2] requireret, ac ne unum quidem de Alimentariis muneribus, Romæ, indicium in monumentis vel inscriptionibus reperire sit, licet ejusmodi nomina apud ceteras civitates Italiæ sæpe occurrant. Ut autem de magistratibus non agitur, ita supersunt inscriptiones certas ejusmodi divisiones a civibus quibusdam, quorum nomina inscriberentur, Romæ factas fuisse testantes; quarum in una puer quidam notatur Eutyches, qui, *ingenuus, accepit congiarium XC*[3]. Aliam doctus Henzenius affert inscriptionem, quæ quidem a Marinio primum evulgata, cives pauperes tributim inscriptos testatur :

D · M ·
L · AVRELIO · TYCHENIANO
L · AVRELIVS · STEPHANVS · PATER
FILIO · DVLCISSIMO · ET · PIENTISSI
MO · BENEMERENTI · FECI · TITVLV
tyCHENIANVS · DICIT · FATIS · AB
rePTVS · HIC · IACEO · RELICVI TRI
buM INGENVAM FRVMENTVM
publICVM · ET · AENEATORVM
. . . quicumQVE · LEGET · NOLO
. . . CTVM · SIC
. . . .

Ex interpretatione doctissimi Mommsenii, his vocibus : TRIBVM INGENVAM tribum rusticam significari constat[4], in quibus rustici inscripti ali-

1. « Tu ne rogari quidem sustinuisti et quanquam lætissimum oculis tuis esset conspectu romanæ sobolis impleri, omnes tamen, antequam te viderent adirentve, recipi, incidi jussisti, ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur,.... etc. » Plin. Panegyr., c. XXVI. — Ibi non de divisione semel facta agi constat, sed certum et stabile aliquid significari atque continuari beneficium. — Cf. c. XXV et XXVII, ejusdem Panegyrici.

2. Hic non locus est *mensoribus frumentariis*, quorum in Cod. Theodos. mentio facta est, XIV, 15-1, et XIV, 4-9. — Cf. inscriptionem Ostiensem de qua Henzenius exquisite disputavit in Annal. 1851, p. 154 à 166.

3. Muratori, p. 1161, 11.

4. Cf. Opusculum a doctissimo Mommsenio vulgatum : Die Rœmischen Tribus in administrativer Beziehung. *Altona*, 1844. — Drittes Kapitel, § I : Die Tribus der Kaiserzeit als

mentorum causa, suum liberis privilegium hereditate « relinquebant. » Sic ratio quædam certa divisiones ordinavit, atque ex ipsa mali moris corruptela, sæculo primo desinente, effloruit mira rerum conversione illa liberalitatis legitimæ providentia, qua nihil apud veteres commendabilius. Ad romanam vero plebem tantummodo hæc dona pertinebant : uni plebi Romæ indulsisse primi videntur Imperatores, huic uni consuluisse, nullo autem Italos benefacto obligasse.

§ IV. Sæpe in civitatibus Italiæ succurebant indigentibus privati, et, ut Romæ, faciendis publico sumptu divisionibus concessa clientibus a patronis subsidia fuerunt exemplo; sic, in Italia, liberalitatem ab Imperatoribus institutam occupavit privata liberalitas. Etenim, quanquam Nervam comperimus Italos alimentariis subsidiis primum donavisse, quod quidem infra exponam, antiquiora tamen exstant monumenta quæ munificentiam privatorum Italorum testantur.

§ V. Augusti temporibus adscribenda est inscriptio T. Helvii Basilæ, ut ex argumentis doct. Henzenii patet[1], quæ nos edocet T. Helvium Basilam « Atinatibus HS ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ legavisse, ut liberis eorum ex reditu, dum in ætatem pervenirent, frumentum, et postea sestertia singula millia darentur[2]. » *Frumentum* autem scimus idem valere atque *alimenta*[3]. Et alias novimus privatorum liberalitates, quarum duas tantummodo referam, quales Henzenius in opere suprascripto expressit[4].

IN MEMORIam · MACRI · FILI · SVI
TARRICINENSIBVS HS |X| ReliQVID ·
VT · EX · REDITV · EIVS · PECVNIAE
DARENTVR · CENtVM · PVERIS · ALI
MENTORum · NOMINE · SING MENSIB ·
SiNG · PVERIS · COLONIS · ⚹ · V · PVELLIS ·
COLONIS · sing · IN · MENS . SING · ⚹ · IIII
. . . .

stædtische Korporationen. — § II, die Getreidevertheilungen seit Cæsars Zeit, Seite 184-194. — § III, die Art der Vertheilung. Die Tribus der Armen., Seite 194-201. — Cf. Bullettino dell' Instituto di corrisp. arch. rom. Decembre, 1845, in quo aliquid de hoc titulo L · AVRELIO · TYCHENIANO protulit et Æneatores eosdem atque Tibicines esse exposuit, unde et participes munificentiæ fuisse milites censuit.

1. Tabul. aliment. Bæbian. Romæ. Annal. dell' Institut. archeol., 1845, § II.

2. Or. 4365, ex Dionigii Viaggio, p. 60.

3. Id exquisite demonstratur ab Henzenio, § IV operis supra scripti.

4. Annal. 1845, § V. Prior autem doctissimus vir comes B. Burghesius veram hujus tituli

Altera, de Plinii junioris munificentia, reperta inscriptio fuit, quasi inserta sarcophago regis Lotharingi[1], quamque ingeniosius ac felicius quam superiores critici mihi videtur Henzenius restituisse :

C · PLINIVS · L · F · OVF · CAECILI*us* · *secundus* · *Cos* ·
AVGVR · LEGAT · PRO · PR · PROVINCIAE · PONT*i* · *et* · *bithyniae* ·
CONSVLARI · POTESTATE · IN · EAM · PROVINCIAM · *et* · *thraciam* · *ab* ·
IMP · CAESARE · NERVA · TRAIANO · AVG · GERM · *dacico* · *missus* ·
CVRATOR · ALVEI · TIBERIS · ET · RIPARVM · *et* · *cloacar* · *urbis* ·
PRAEF · AERARI · SATVRNI · PRAEF · AERARI · MIL*it* · *praetor* · *trib* ·
plebis · QVAESTOR · IMP · SEVIR · EQVITVM · *romanorum*
trib · *milit* · *leg* · *III* · *gallicae* · *flamen* · *divi* · *t.* *aug* ·
X*vir* · *stli*TIB · IVDICAND · THERM*as* . . . .
ADIECTIS · IN · ORNAT · HS · $\overline{\text{CCC}}$ . . . . *et*
*am*PLIVS · IN · TVTELA*m* · HS $\overline{\text{CC}}$ · T · F · I . . .   .
. . . . LIBERTOR · SVOR · NOMIN · HS · |XVIII| LXVI · D · CLI · REI
. . . . MENT · POSTEA · AD · EPVLVM · PLEB · VRBAN · VOLVIT · PERTIN
. . . DEDIT · IN · ALIMENT · PVEROR · ET · PVELLAR · PLEB · VRB · HS · CCC
. . . . IN · TVTELAM · BIBLIOTHECAE · HS · $\overline{\text{C}}$ · [2]

Quam liberalitatem cavebis ne eamdem esse putes atque eam de qua scribit Plinius in epistola ad Caninium[3]. Hanc ego epistolam hic totam profero, quippe quæ nobis ejusdem modi liberalitatis privatæ exemplum præbeat.

« Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus nostris in epulum obtulisti, post te quoque salva sit. Honesta consultatio, non expedita sententia. Numeres reipublicæ summam? Verendum est ne dilabatur. Des agros? ut publici, negligentur. Equidem nihil commodius invenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi; eumdem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim et reipublicæ sors in tuto, nec reditus incertus, et ager ipse propter id, quod vectigal large supercurrit, semper dominum, a

significationem præbuit. Bullett. dell' Instituto di corrisp. arch. Rom. Ottobre e novembre, 1839.

1. Mediolani, in D. Ambrosii templo.

2. Vers. 1, OVF id est OVFentina tribus. — Vers. 9, stliTIB. i. e. Stilitibus judicandis. — Vers. 12, LXVI pro $\overline{\text{LXVI}}$.

3. L. VII, ep. XVIII. Cf. Ep. VIII, lib. I, ad Saturninum.

quo exerceatur, inveniet. Nec ignoro me plus aliquanto, quam donasse videor, erogavisse, quum pulcherrimi agri pretium necessitas vectigalis infregerit. Sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multoque diligentius muneri suo consulere, quam facultatibus. Vale. »

Hac in epistola, Plinius Caninio amico, ipsum ea de re consulenti, rationem indicat qua solerter possit municipio cuidam, sine ullo in futurum periculo, munus largiri unde alimenta subministrentur egenis urbis illius civibus. — Si pecuniæ summam, inquit, reipublicæ numeraveris, verendum erit ne aut dilabatur aut disperdatur; — Si, pecuniæ loco, dederis agros, certe, ut publici, negligentur, ac, brevi, infructuosi jacebunt; fac ergo commode quod et ipse feci : pro quingentis millibus nummum quæ in alimenta egenorum civitatis meæ promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi; eumdem ut agrum vectigalem, id est conductione in perpetuum facta recepi, tricena millia annua, vectigalis id est mercedis nomine, daturus. Per hoc reipublicæ agrum possidentis sors in tuto est, nec reditus incertus; immo, quum ager ipse legem conductionis, id est vectigal impositum, abunde tolerare possit, non verendum est ne neglectus languescat. Quippe qui, istis conditionibus, dominum a quo exerceatur facile sit inventurus. At enim, adjicit Plinius, hoc pacto, videbor patrimonii mei partem magis erogavisse, quam summam quamdam tantum donavisse, quum pulcherrimi agri pretium necessitas vectigalis infregerit, — sed privatis utilitatibus publicas oportet anteferre.

Hæc insignis epistola non penitus intelligetur nisi quædam antea explanaverimus.

Publicum quemdam civitatis actorem, — quæstorem alimentarium puta, — adit Plinius atque illi agrum suum mancipat, id est, *per æs et libram* erogat; qui quidem erogationis modus solemnis omnino atque ad jus civile pertinens, Trajano imperante nondum exoleverat; sed forma erogationis una, id est, æris libratio, symbolica tantummodo jam tum habebatur[1].

1. Gaii Inst. Comm. I, § 119 : « Est autem mancipatio, ut supra quoque diximus, imaginaria quædam venditio; quod et ipsum jus proprium civium Romanorum est, eaque res ita agitur : adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, et præterea alio ejusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, rem tenens, ita dicit : *Hunc ego hominem ex jure quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra;* deinde ære percutit libram, idque æs dat ei a quo mancipio accipit, quasi pretii loco.... » — Id. ibid. § 122 : « Ideo autem æs et libra adhi-

Mancipatio enim alienationis modus erat *rebus mancipi* proprius. Atqui Romanorum Jurisconsultorum testimonio discimus fundos illos solummodo qui in Italico solo positi erant inter res mancipi annumeratos, ac proinde mancipationem recepisse[1]. Porro ager ille de quo in epistola prædicta mentionem Plinius facit, *Italici soli* pars erat, unde sequitur illum cujuslibet vectigalis immunem fuisse.

Præterea, mancipatio *dominium ex jure quiritium* transferebat; ergo Plinius hunc agrum, priusquam mancipasset, *ex jure quiritium* proprium obtinebat. Igitur Plinius, mancipationis loco, *cessionem in jure* usurpare potuisset, quiquidem modus tum *rebus mancipi*, tum *rebus nec mancipi* adhibebatur[2], dum tamen, *ex jure quiritium*, in dominio essent in jure cedentis, id est illius qui erogabat; sed mera *traditione* uti non potuisset, quæquidem *dominium* ex *jure quiritium* non transferebat, nisi *rerum nec mancipi corporalium*[3]. Quum autem *cessio in jure* fieri non posset nisi adesset summus magistratus, scilicet Prætor vel Præses provinciæ, intelligere facile est hunc modum difficilius usurpari solitum quam *mancipationem,* ac proinde mancipatione potius Plinium usum esse.

Plinius postquam agrum suum civitati mancipavit, hunc recipit rursus ac resumit, sed quo nomine? resumit ut *vectigalem agrum;* scilicet civitas quem agrum proprium jam ac peculiarem obtinet, eumdem in perpetuum Plinius conducit annuo pretio, quodquidem *vectigal* dicitur, ac tum tricenis millibus nummum constituitur. Quo pacto videre est annuum urbi reditum certum esse, non minorem reditu illo quem ex promissa pecuniæ summa percepisset, id est quingentis millibus nummum, si hanc summam semissi usura collocasset, ac præterea, quum in prædicta epistola fateatur ipse Plinius modicum illud esse vectigal, satis per se liquet mancipatum hunc agrum, promissa pecuniæ summa, quæ quingentis millibus nummum constabat, longe pretiosiorem fuisse.

Quænam autem fuit agrorum vectigalium conditio? Quænam possessoris conditio fuit talem agrum perpetuæ conductionis nomine obtinentis?

betur, quia olim æreis tantum nummis utebantur et erant asses dupondii, semisses et quadrantes, nec ullus aureus vel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII Tabularum intelligere possumus. »

1. Gaii Inst. Comm. I, § 120; — Ulpiani fragmenta, tit. XIX, § 1 et 3.

2. Ulp. *ibid.* § 9.

3. *Id. ibid.* § 7.

Has quæstiones solvent nonnulla veterum Romæ jurisconsultorum fragmenta quæ Digestis inserta sunt.

Agri civitatum alii *vectigales*, alii *non*. *Vectigales* vocabantur qui locabantur in perpetuum, hac lege ut annuum vectigal penderetur[1]; quæquidem in perpetuum locationes ideo necessariæ factæ erant ut agricolarum studium excitaretur, quo tempore neglectus languebat agrorum cultus; immo utiles et commodæ habebantur civitatibus agros possidentibus, atque illos præsertim agros, qui, ut sæpe eveniebat, procul a municipio distabant. Postea, quum locationibus istis ea imponeretur conditio ut, qui locaret agros, meliores illos, arboribus exempli gratia conserendis, præstaret, locationes illas emphyteoses, eum qui locaret emphyteotan, atque agros ipsos emphyteuticarios, a verbo ἐμφυτεύειν, dixere. Idcirco, in Digestis[2], duplex illa vox *ager vectigalis* et *ager emphyteuticarius*, sine ullo discrimine, vicissim usurpatur; quarum prior, quæquidem eadem est antiquior, Plinii temporibus adhuc sola in usu erat.

Qui vectigalem agrum conducebat, heredibus suis, immo tertiæ personæ jus suum transmittere poterat; civitas autem in possessionem agri redire nequibat, nisi vectigal ipsi non solutum fuisset[3].

Sed ex *jure* quidem *civili*, is qui conducebat agrum, dominus non habebatur. *Civilis proprietas*, quamvis locatio perpetua esset, ad civitatem pertinebat. Attamen ex *jure prætorio*, is qui agros in perpetuum conducebat similis pæne domino fiebat. Huic enim Prætor, *actionum utilium* titulo, eas dabat actiones, quas jus civile, *actionum civilium* nomine, Domino dabat *ex jure quiritium* obtinenti præsertim *actionem-in-rem utilem*, id est, *actionem Publicianam*[4]. Igitur qui agrum vectigalem conducebat, habebat idem *dominium prætorium* vel *bonitarium*, quod media ætate, *dominium utile* dicebatur; civitati autem solummodo *dominium* erat *ex jure quiritium*, *nudum*,

1. Digest. VI, 3. Paul. 21. « Agri civitatum alii *vectigales* vocantur, qui in perpetuum locantur.... *non vectigales* sunt qui ita colendi dantur, ut privatim agros nostros colendos dare solemus.... » Vid. infra (Parte tertia, cap. I, § 7). Pauli Commentationem in extenso prolatam.

2. Digest., l. IV, tit. 3. Rubric. *Ager vectigalis, id esi emphyteuticarius....*

3. « Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini [*ex jure quiritium*], tamen placuit competere eis *in rem* actionem adversus quemvis possessorem, sed et adversus ipsos municipes. » Digest. *ibid.*

4. Id. ibid.

quod, media ætate *dominium directum* dicere solebant[1]. Maxima enim intercedebat similitudo inter jus illius qui, apud Romanos, conducebat in perpetuum *agrum vectigalem* et jus illius qui, media ætate, agrum obtinebat cui quidem *vectigal perpetuum*[2] inhærebat. Inde facile intelligitur quare Plinius, in epistolæ prædictæ fine, suam rem, suum agrum se resumpsisse dixerit, « eumdem imposito vectigali recepi; » quare dominum sese vere judicet, quare agnoscat tamen sese quodammodo alienavisse, « erogavisse videri[3]. »

§ VI. Privatæ liberalitatis multa alia exempla ex Italia proferre possem, nisi mallem publicam illam attingere, quum jam et certa sit et Imperatoris nomine fiat. Illam autem ad ingenuos tantum pueros spectare, atque inprimis legitimos, minime mirum est; novimus enim ad servos nihil publici subsidii pertinuisse, utpote qui solius heri impensis alerentur; libertis vero cum alapa daretur, ideo tantum addita alimenta sunt ut satis commode viverent[4]. Ergo ex ingenuis pauperes quærebantur, quibus inprimis subveniendum erat si, nulla originis habita ratione, solam humanitatem attenderimus, omisso more illo et lege qua, apud veteres populos, prope omnes civium ordines distincti et separati attinebantur. Homines

1. « Remarquons que ces expressions : *dominium directum* et *dominium utile*, très-usitées au moyen âge, viennent uniquement de ce que le premier était protégé par l'action *in rem* directe, c'est-à-dire par l'action *in rem* civile, — et le second, par l'action *utile*, c'est-à-dire, par l'action *in rem* prétorienne ou action publicienne. Thibaut, dans ses *Versuche*, a mis ce point en lumière d'une manière remarquable. T. II, 3. » — Epist. manuscripta doctissimi Jurisconsulti Capmas, professoris Divion. Jur. Acad.

2. Rente foncière perpétuelle.

3. Pauci anni elapsi sunt ex quo duo libri de *Emphyteoticis* egregie scripti palmam, Parisiis, in Juris Academia tulerunt; quorum alterum in lucem prodiit, auctore Æmilio Pepin Le Halleur, qui in rei quidem viscera descendit, at legem maxime est secutus; alterum vero, auctore Capmas, non evulgatum, latet inter Juris Academiæ parisiensis chartas, sexcentarum paginarum liber, qui non sine magno investigandi labore conscribi potuit, magisque ad historiam quam prius illud spectat. Tanta me cum benignitate ipse excepit libri auctor, doctissimus vir Capmas, Juris in Academia Divionensi professor, ut mecum sermone omnia quibus mihi opus esset communicare non dubitaverit; quæ ego quidem in hoc opere superius exponere conatus sum.

4. Cf. Opus viri docti H. Wallonis : Histoire de l'esclavage dans l'antiquité. *Paris*, 1847. « Le patron était protecteur naturel de ses affranchis.... En cas de minorité, il était appelé à leur tutelle qui, chez les femmes, ne finissait qu'au mariage; dans le besoin, il leur devait des aliments; à la mort, il les recueillait dans le tombeau de sa famille. » T. II, part. II,

autem eosque ingenuos miseriis laborantes respiciebat Imperator, quum admirabilem legem ferret, qua alimentariis auxiliis levarentur.

§ VII. Primus Nerva liberalitatum, quas sibi proprias Urbs hactenus retinuerat, totam Italiam participem esse voluit[1]. Cujus institutionis Nervam fuisse auctorem Muratorius nonnullique alii, quod nihil de ea re Dio Cassius scripserit, negaverunt; at quid his Aurelii Victoris verbis clarius? « Nerva puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico, per Italiæ oppida, ali jussit[2]. » Aliud accederet, si res posceret, argumentum : nummus ille in cujus aversa parte Imperator Nerva exhibetur, sellæ curuli insidens qui dextram obvertit puero uni puellæque, adstante juxta muliere, cum inscriptione : TVTELA ITALIAE[3].

CAPUT II.

DE INSTITUTIONE ALIMENTARIA SUB IMPERATORE TRAJANO.

§ I. In *alimentariis* instituendis multo majores fuisse Trajani quam Nervæ partes nobis constat. Ille enim, quanquam id tantum perfecit quod fuerat a Nerva excogitatum, rei tamen inceptæ tanto cum studio, tanta cum constantia se addixit, ut illius vere auctor habendus sit. Scilicet eo imperante perscripta sunt duo illa monumenta quæ nobis de re alimentaria maximam nobis lucem afferunt; quorum alterum Ligurum Bæbianorum Tabula anno CI°, Trajano quartum consule, ante bellum Dacicum, alterum Veleiatium Tabula anno CIV°, eodem jam profligato bello, sicut patet ex cognomine « DACICO, » adscribitur.

§ II. Scribit autem Dio[4] hoc in primis Trajanum studuisse ut romano-

ch. x, affranchissement, p. 404. « .... Quelquefois il (le patron) lui laissait (à son affranchi) son pécule; il lui remettait, avec les obligations de la servitude, les droits mêmes du patronage; il lui donnait le droit de vivre, même sans travail (otiosus), à la charge de son héritier. » *Id.*, *Ibid.*, p. 407.

1. Nerva eodem fere tempore, in Urbe aboleverat *frumentationes* et restituerat, ut percipere fas est ex diversis nummis. Henzenius, § I. Annal. 1845.

2. Epist. XII, 4.

3. Eckhel, VI, 407.

4. « Εἰς δὲ τὴν Ῥώμην εἰσελθὼν πολλὰ ἐποίει πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν, ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπιμελούμενος, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παί-

rum civium in italicis civitatibus miseria levaretur. Quæ igitur fuerit ejus institutionis ratio videamus.

§ III. In diversis Italiæ civitatibus magnam pecuniam, qua sustentarentur pauperes, præstari jubebat Imperator. Namque minime est hodie dubium quin fuerint ab Imperatore distributæ pecuniæ illæ quæ in Tabulis declarantur; ceterum ex multis aliis monumentis, quomodo se res vere habuerit, fit manifestum [1].

§ IV. Ista pecunia ab Imperatore data sors erat cujus pauperibus conditionis ingenuæ pueris et utriusque sexus sola esset usura dividenda; ut autem perpetuus ille reditus in tuto fieret, hanc sortem fundos possidentibus in municipiis coloniisque Imperator suppeditabat, et, quum mediocre esset fenus huic addictum, aderant fundos possidentes non pauci ad quos et ipsos aliquid imperatoriæ liberalitatis perveniret. Sæpe eam sortem illis suppeditatam fuisse arbitror unde fundos exercerent, usura quincunce, quæ modicissima quidem, si cum ista centesima compararetur, quæ ex mutuationibus vel in negotiationibus ac mercimonio colligi soleret. Hujus igitur usuræ nummi inter pauperes pueros dividebantur. Sic sua Imperatori munificentia salva et superstes erat, quumque possidentes adjuvaret, agriculturæ opitulabatur, et publicis miseriis subveniebat.

§ V. Quo autem id fieret modo operæ pretium est exponere : nam ut pateat quæ sit institutio, primum quo pertineat est cognoscendum. Num id, ut in primis reipublicæ romanæ temporibus, efficiebat liberalitas ut nova miseriæ causa accederet et hominibus vis animi frangeretur, dum otiosi quasi suum vectigal exspectarent ac certo tempore acciperent? Immo liberalem hunc reditum non ad juvenes adultos sed ad « pueros » pertinere, et modicam singulis dari pecuniam, quæ familias ingenuas adjuvaret, non autem omnibus quæ ad vitam bene degendam necessaria sunt instrueret, notandum est. Menstrua scilicet sestertia sexdecim singuli pueri, singulæ autem puellæ duodecim accipiebant. Jam ejusmodi liberalitate moribus consulebatur, quippe quæ nothos non omnino repudians, ita legitimis succurreret ut propter eos instituta esse videretur. Ete-

δων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τούτους εὐεργετῶν. » Dio, LXVIII, 5. — Cf. Plin. Panegyr., c. xxv, xxvi et xxvii.

1. Henzenius. Op. supra script. § ii, inscriptionem affert in qua hæc vocabula leguntur : QVAEST · ALIM · CAES. Aliam autem protulit, eodem §°, in qua hæc sunt : Quæstor SAC · P. ALIM.

nim puerorum quibus latam fuisse opem declarat Veleiatium Tabula, 245 inscribuntur mares legitimi, legitimæ puellæ 34; unum vero spurium et unam tantummodo spuriam in titulo ipsius Tabulæ reperimus. Ætatem definivit Hadrianus cui jam nulla alimenta deberentur, remque Alexander Severus confirmavit[1]. Illa autem erat pueris annorum octo et decem, decem et quatuor puellis. Henzenius[2] Lamæ[3] errorem notat opinantis pueros quicumque novem annorum ætatem excessissent, Pertinacis quidem tempore, nullam alimentorum partem accepisse. Ergo civitas romana pauperibus ingenuis victum pro necessitate distribuebat, donec ejus essent ætatis quæ laborem ferre posset. Nihil apud recentiores, ne hodierno quidem die apud nos, quanquam, publicæ liberalitatis consecratrix eadem et socia, sanctissima religio maxima beneficia in cives egenos contulit, ista veterum institutione melius excogitatum fuisse mihi videtur.

§ VI. Quod ad alimentariæ institutionis administrationem attinet, nemo apud veteres de magistratibus alimentariis quidquam scripsit: nempe mandatum iis erat ut Cæsaris nomine cum privatis paciscerentur; sive quum privatus aliquid institueret liberaliter, sive etiam quum ad pauperes pueros vel Imperatoris, ut in nostris Tabulis, vel municipalis deveniret munificentia (namque et a municipiis largitiones nonnunquam profectas esse satis compertum). At quamvis sileant de administrandis alimentariis scriptores, multæ tamen adsunt inscriptiones quæ rem satis aperte declarent.

§ VII. Nempe diversi generis erant illi magistratus. Primum, in unaquaque civitate, *alimentorum Quæstores* erant, quem etiam magistratum ex nonnullis titulis novimus ab iisdem gestum fuisse quibus et *arca publica* vel *ærarium* in municipiis et coloniis mandabatur. Sic Lucium Cominium Firmum simul una esse Q · AER · ET · ALIM videmus[4]; L. Casurium Speculatorem Amerinum, Q · ARC · PVB · ET · PEC · ALIMENTAR[5]; L. Pompeium Herennianum Industriensem, Q · AER · P · ET · ALIM[6]. Quod quidem munus magno in honore fuisse videtur, quum, in quibusdam civitatibus, viris summis dignitatibus perfunctis sit attributum. Sic Valerio Nomentano qui

1. Ulpian. Dig. XXXIV, 1, 14.
2. § VII.
3. P. 29, 3.
4. Gruter, p. 394, 8.
5. Grut., p. 1092, 7. — Cf. 386, 4.
6. Maffeius, Mus. Veron., 230.

prius Dictator (namque Nomento suus semper Dictator erat); deinde alimentarius Quæstor fuit[1]. Horum vero juris municipium tantummodo aut colonia erat.

§ VIII. Ipsi autem parebant Procuratori scilicet qui, in titulis, hoc vocabulo vel *alimentorum*, vel *alimoniæ*, vel *ad alimenta*, nonnunquam etiam *ab alimentis* designatur; cujus quidem administrationis partes late patebant. Habemus enim *Procuratores alimentorum per Transpadum*, *Histriam et Liburniam*[2]; *Procuratores ad alimenta Bruttii*, *Calabriæ et Apuliæ*[3]; *Procuratores alimentorum viæ Flaminiæ*[4].

§ IX. Italiæ procuratores Henzenius putabat sæpe eosdem fuisse atque *Curatores*, at inscriptiones quibus ejus innitebatur opinio adulterinas ipse postea judicavit[5]. Nunquam enim procuratores alimentariis iisdem muneribus prius functos fuisse quibus et curatores alimentarii, qui quidem equestris ordinis erant, ex inscriptionibus novimus. *Curatores* iidem viarum et alimentorum erant et « per magnas vias » distribuebantur. Isti autem *Curatores alimentarii* majorem quam procuratores magistratum gerebant.

§ X. Quibus et ipsis Curatoribus alii præerant magistratus, quos Imperatori soli secundos, *alimentariorum Præfectos*, ex conjectura Burghesii, appellabimus. Summus enim ille rei epigraphicæ arbiter tales exstitisse magistratus confirmat eorumque munera describit[6]: pactiones ii cum fundorum dominis qui sua bona pignori opponebant (hoc modo hypotheca, ut ita dicam, suscepta), Imperatoris nomine faciendas curabant, solique in pactionis formula designabantur[7]. Atque ibi quidem, licet non usurpetur præfecti vocabulum, non iidem tamen isti atque curatores ullo modo ha-

1. Henzen. § VIII. D · VALERIVS · D · F · COR
PROCVLVS · AEDIL · DICTATOR
QVAEST · ALIMENTORVM, etc.

2. Grut., p. 402, 4. — Maffeius, Mus. Ver., 462, 2. — Kellermann, p. 14. — Hæc autem inscriptio quam Henzenius exhibet, judice Leone Reniero, nec ad primum nec ad secundum sæculum pertinet.

3. Grut., p. 411, 1.

4. Muratorius, p. 756, 4.

5. Henzen., § XI. PROC · ALIMON · CVRAT · VIAR. — Murat., 2024, 1. Quæ quidem spuria inscriptio est.

6. Bullett. dell' Instit. di corrisp. archeol. Roma. 1844.

7. Cf. Tabulam Veleiatium : col. II, l. 37; — col. III, l. 13 et 53; — col. V, l. 38 et 57; — col. VII, l. 31 et seq.

bendi sunt. Curatores enim, equestris sane ordinis esse poterant, at non in amplissimo dignitatum gradu locabantur, quales Cornelium Gallicanum et Pomponium Bassum videmus, qui quasdam faciunt obligationes apud Veleiates, quorum alter, Pomponius Bassus, legatione consulari Cappadociæ et Galatiæ fuerat ornatus [1], alter autem, Cornelius Gallicanus, Lugdunensi legatione, anno scilicet 83° perfunctus, fasces obtinuerat, ut scribit Burghesius auctores suos afferens [2]. Ac de hoc quidem vocabulo præfecti, dubitare licet, fatendum vero est hoc munus sub Trajano imperatore exstitisse, ita ut alimentariis valida administratio præfuerit; quæ quum quatuor habuerit dignitatis gradus, Quæstorem scilicet, Procuratorem, Curatorem et Præfectum, satis per se ipsa ostendit quam late suam institutionem protulerit Imperator. Quemadmodum vectigalibus, quæ apud nos dicuntur vel *Contributions directes* vel *Enregistrement*, præpositi quidam erant dicti *Procuratores qui vicesimam de prædiis partem ante caperent*, et iidem *Præfectorum ærarii militaris* juris essent; ita alimentariorum Præfectorum juris fuisse alimentarios Procuratores judicavit Burghesius. Inde nomen *Præfecti alimentarii.*

§ XI. Sequenti ætate, quantum ex titulis conjicere licet, hæc summa Præfectorum alimentariorum dignitas duravisse non videtur. Sunt enim, extincto Trajano, Curatores viarum primi magistratus alimentarii; huic autem Curatorum dignitati nomen Præfecti additum fuisse constat; sed cave ne putes istos novos Præfectos eadem dignitate frui, eodem munere fungi quibus veteres Præfecti. Novi autem Præfecti vel Curatores alimentarii publicis viis præpositi erant. Hanc inscriptionem exhibet Orellius [3]:

P · MVMMIO P · F · GAL · SI
SENNAE · RVTILIANO
COS · AVGVRI · PROCOS
PROVINC · ASIAE · LEGATO AVG
PR · PR · MOESIAE · SVPERIORIS
PRAEF · ALIMENT · PER AEMILIAM
PRAEF · AER · SATVRNI · LEG · LEG · $\overline{\text{VI}}$
TRIB · LEG · $\overline{\text{V}}$ · MACED · $\overline{\text{X}}$ VIRO · STLI
TIB · IVDIC · PATRONO · MVNI
CIPII · CVR · FANI HV · SALIO · HER

1. Vide *Bullett.* supra cit.
2. *Bullett.* Ibid.
3. Orell., n. 3933.

CVLANEI AVGVSTALES
L · D · S · C [1]

Sunt et alii tituli ex quibus novimus quemdam Modestum Paulinum fuisse CVR . VIAR . TIB . VAL . ET . ALIM . ; ex hoc alio, quem exhibet Burghesius titulo, CVRATOR . VIAE . . . ET ALIMENT . . . quemdam fuisse accepimus.

§ XII. Infra autem Curatores vel Præfectos, iidem ac sub Trajano Procuratores erant qui quidem sæpissime equestris ordinis fuere, nunquam clarissimi viri vocantur.

§ XIII. Jam videndum quid fuerint *Subcuratores*, quorum dignitatem noscimus ex inscriptione in Britannia reperta[2] anno 1810, quam quidem sic instauravit Burghesius :

. . . .
. . . .
. . . . . praef · COH · I · AVG
LVSITANOR · ITEM · COH · II
BREVCOR · SVB · CVR · VIAe
FLAMINIAE · ET · ALIMENT
SVB · CVR · OPERVM · PVBL
IVLIA LVCILLA C · F · MARITO
B M VIX AN XLVIII
M · V · D · XXV

Ex C. F. (i. e. clarissima femina) constat illum virum senatorii ordinis esse; ex his autem vobabulis *præf.* COH, constat antequam in senatum cooptaretur, eum equestris ordinis fuisse. Hic porro titulus solus est qui magistratum Subcuratorem memoret. Ex interpretatione gravissimi in inscriptionum scientia judicis Leonis Renieri, hoc vocabulo SVB · CVR · eadem dignitas designatur ac voce *Procurator*, sed Julia Lucilla, honoris causa, melius sonans vocabulum *Subcurator* non dubitavit, ut apud remotos illos Britannos, usurpare, quum propter mariti recentiorem dignitatem se ipsa clarissimam feminam potissimum jactitaret.

§ XIV. Quartam devenisse hanc novimus Veleiatibus ab imperatore Trajano donationem. Quæ in Bæbianorum Ligurum Tabula signa OBLEG . VIIII ·

1. Nempe : « Locus datus senatus consulto, » ut in aliis titulis apud Orellium, n. 2239, 3569.

2. Apud *Campville* in Northumbria. Cf. Hodgson, Descript. of the country of Northumberland, p. 153. — Borghesi, Bullett. dell' Institut. di corrisp. arch. 1851, p. 74.

inscribuntur, novies jam civitatibus Italiæ pecunias ab imperatore, ab anno 97[2], donatas fuisse declarant, neque inde sequitur has Bæbianos ipsos novies accepisse. Annum autem 101um fert inscriptio Bæbianorum. Duas igitur donationes, unoquoque anno (si modo certis temporibus, quod maxime dubium, oblatæ sint), factas fuisse necesse est. Quæ quidem omnia magnam pecuniæ vim his largitionibus absumptam, egregiam eo spectantem vigilantiam, ut pauperum egestati consulatur, denuntiant. Atque hæc sane liberalitas cum severa illa parcimonia mirum in modum consentit, quam Plinius[1] nobis prope totam cum multa principis laude tradidit, qui quam bene providus fuerit ex alimentariis inscriptionibus patet.

§ XV. Mox de duobus istis monumentis quæ ad eam beneficentiam attinent, quod quidem assecutus sum exponam, atque inde mihi erit ad singula recurrendi occasio. Sunt autem et alia præter duas Tabulas monumenta vel testimonia vigilantiæ qua Trajanus institutionem suam amplexus ad id incrementi perduxit[2]. Nummi, inquam, bene multi exstant quinto ejus et sexto consulatu cusi qui præbent hæc vocabula ALIM · ITALIAE. Anaglyphum etiam quoddam arcus Beneventani ad alimentorum institutionem pertinere Henzenius[3] judicat, in quo Trajanus conspicitur ad quem quatuor accedunt mulieres coronis muralibus ornatæ cum puerulis virisque puerulos humeris gestantibus; quibus mulierum figuris municipia Italiæ adsimulantur et ipse arcus ad Trib. pot. XVIII spectat.

CAPUT III.

INSTITUTIO ALIMENTARIA AB TRAJANO IMPERATORE USQUE AD QUARTAM P. C. ÆTATEM.

§ I. Tantum aberat Hadrianus ut alimentariæ institutioni quidquam detrimenti afferret, ut etiam illi, extincto Trajano, ipse incrementum adjecerit[4].

1. Epist., l. X.
2. Vid. Gruter., p. 1084, 7; — cf. Muratorius, p. 230, 5; — Rubennius, p. 88; — Paufler, p. 9; — Hoc marmor autem Muratorius apud Gorium, p. 16, refert ad annum 102; — aliam autem Muratorius præbet inscriptionem anni 103, vel 104. Thesaurus, p. 230-3.
3. Henzen., § II.
4. « Hadrianus pueris ac puellis quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit. » Spartian., c. VII. — « .... ne accrebbe il numero, o pure (come più conviene al senso delle parole) ne aumentò l'annua pensione.... » Muratorius ad Gorium, p. 18. « .... assegnò loro qualche danaro, o sussidio di più.... » *Id.*, p. 36.

Ceterum quidquid in omni genere magni fuerat prius institutum sanxit is princeps, quumque omnia, prout tempora postulabant, summo cum ingenio constitueret, nemo plus contulit in imperii condendam unitatem, ingensque illud opus superioris principis opera inchoatum, prudentia sua ipse perfecit.

§ II. Antoninus quidem, cum uxoris suæ memoriam pie coleret, alimentariamque institutionem Faustinæ majoris auspicio commendaret, hanc altius etiam provexit; anno scilicet 140°, *alimentarias Faustinianas creavit*[1]. Erectum autem, 149° anno, apud Cuprenses-Montanos, monumentum, atque aliud apud Urbinates, anno 150°, rei fidem perhibent. Annis denique 151° 160°, 161°, numismata quædam alimentaria cusa sunt, quæ, quanquam nihil præbent inscripti, dignosci tamen potest, alimentaria dona in his significari, ut declarant iis insculptæ quædam effigies[2].

§ III. Marcus Aurelius opus inceptum, ut ait Capitolinus, persequitur[3]. Promulgata est ab eo lex frumentaria, quum Lucilla, imperatoris

1. Julius Capitolinus, c. VIII; — cf. Henzenium, ann. 1845, § III : « .... Cujus rei testimonium præterea in nummo quodam exstat, qui in aversa, cum inscriptione PVELLAE FAVSTINIANAE, imperatorem exhibet togatum, sedentem in suggestu; qui puellam ab alia figura accipit; infra puellas plures (Eckhel, l. c.). »

2. Exstant quoque lapides veteres quos Rubenius exhibet, p. 86, 88; — Muratori, p. 19; — Grut., p. 1022, 6 et 7; — cf. apud Suaresium, *Prænest. antiq.*, l. I, c. 16, p. 59; — et ap. Volpium, *Vetus Latium*, t. IX, p. 156; — cf. etiam alium titulum, anno 1747 repertum, Thes. Murator., p. 238, n° 2; — et Donat., Suppl. ad Murat., p. 334, 2; — Henzen., § III. — Spanheim., De præst. num., t. II, p. 289. — Vaillant, Numism. imp. Rom., t. II, p. 166 et 168. — Hunc tantum exhibebo titulum, in lucem editum anno 1767, quem quidem primus Winckelmannus protulit (Hist. de l'art chez les anc., l. VI, ch. VII, p. 473; t. II, trad. franç., éd. in-4. *Paris*, 1802); habet etiam Orellius n. 3364 :

IMP · CAESARI
DIVI · ANTONINI · PII
FILIO · DIVI · HADRIANI
NEPOTI · DIVI · TRAIANI
PARTHICI · PRONEPOTI
DIVI · NERVAE · AVGVSTO · P · M ·
TR · POT · XVI · COS · III · OPTIMO · ET
INDVLGENTISSIMO · PRINCIPI
PVERI · ET PVELLAE · ALIMENTARI
FICOLENSIVM

3. Jul. Capitolinus, c. II.

filia, Lucio Vero nuberet[1]. Mox in honorem Faustinæ Junioris aliæ Faustinianæ institutæ sunt[2]. Insigne denique superest in Albani villa Anaglyphum a quo Faustinianarum institutio in memoriam revocatur.

§ IV. Sequitur singulare quoddam privatæ munificentiæ exemplum, quod Antonino imperante, editum fuisse narrat Fronto[3].

« Ad (maius) tempus.... et uarianis[4] alumnis masculis feminisque sestertium deciens singulis reliquit usurarium proprius[5] quam propri(um) : nam quinquagena annua ab Augusta[6] singulis dari jussit. »

Quæ quum partim incerta sint, eorum tamen si mihi bene sensus intelligitur, de quadam Matidia[7] agitur quæ hereditatis nomine, deciens sestertium pueris pauperibus utriusque sexus reliquit. At ii quidem hanc sortem non retinebunt ut sibi propriam, ejus tantummodo usura fruentur, quod his vocabulis exprimitur : « Deciens usurarium proprius (id est *propius* vel etiam *potius*) quam proprium. » Cujus liberalitatis cura Faustinæ ita commissa est ut singulis annua quinquagena assignarentur. Verisimile autem est hanc usuram quincuncem fuisse (i. e. 5 p. 0/0) atque ideo mille numero fuisse pueros ad quos ea pertineret liberalitas. Hic certe fragmenti tenor est, in quo tamen nonnulla desiderantur. Mihique venit in mentem a Matidia Faüstinæ ingentem pecuniam fuisse donatam, quæ quidem Matidia, ut salva et in tuto collocaretur ista liberalitas eam, principis fidei patrocinandam mandaverat. Præterea fieri potuit ut istud, de quo agitur, heredium, et alios haberet a quibus, extincta Faustina, reciperetur, ea scilicet lege ut pauperibus perpetua fieret sestertium quinquagenorum donatio.

§ V. Extincto M. Aurelio, jam rariora quidem monumenta reperiuntur, quæ memoriam alimentariorum continuent. « Didius Julianus curam alimentorum in Italia meruit[8]. »

1. Jul. Capitolinus, c. VII.

2. *Id.*, c. XXVI.

3. M. Cornelii Frontonis et M. Aurelii imperatoris Epistolæ, etc., curante Angelo Maio. *Romæ*, 1833. Epist., l. 1, 13, p. 288.

4. *Vel* Uananis (Ang. Maius).

5. Sic (Ang. Maius). — Pro *potius*.

6. Faustina Marci (Ang. Maius).

7. Sermo est de hereditate Matidiæ, de qua recole ad M. Anton., imp. II, fin. (Ang. Maius).

8. Spart. c. II.

§ VI. Scriptores recentiores nonnulli ex Capitolini [1] quodam loco, quem minus bene intellexerunt, Pertinacem judicaverunt institutionem abolevisse. Locus autem sic se habet : « Alimentaria compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit. » Ibi de intermissione quadam largitionis, non de abrogatione, sicut Henzenius demonstravit [2], agitur. Temporum discrimina, publica miseria et civile bellum ingruens imperatorem ad id necessitatis adduxerant ; at post eum, res in integrum restituta est. Ubi enim scriptores tacent, loquuntur lapides : regnantibus Septimo Severo et Caracalla, ex Henzenii sententia, Mæcius Probus PRAEF. ALIM. nuncupatur [3].

§ VII. Exstat adhuc Elagabali ætatis monumentum quod a minoribus quibusdam magistratibus alimentariis erectum fuisse demonstravit Burghesius [4].

§ VIII. Denique, regnante Alexandro Severo, magna adest inscriptionum copia. Ipse autem imperator, Antoninum Aureliumque secutus, « puellas puerosque Mammæanos instituit [5]. » Sunt insuper nonnulla alia monumenta ad Constantinum usque pertinentia, quæ attulit Henzenius [6]. Sunt etiam ad eamdem ætatem, id est ad quartum sæculum multi nummi pertinentes cum titulis : PIET. AVG., — ABVNDANTIA., — ABVNDANTIA AVG. — et ABVNDANTIA TEMPORVM, etc. [7]

§ IX. Theodosianus denique codex nobis legem alimentariam, qualem informaverat Constantinus, exhibet [8] ; ratione vero obligationum imperator usus fuisse non videtur exercendæ munificentiæ gratia ; certe eodem tendit ejus liberalitas, miseriis iisdem opitulatur.

1. Jul. Capitolin., c. IX.
2. Henzen., § XII.
3. Orell., n. 1267.
4. Memor. Institut. archeolog., I, p. 290. — Henzen., § XII.
5. Lamprid., c. LVII.
6. Henzen., § XII.
7. Paufler, Quæstio antiquaria de pueris et puellis alimentariis. *Dresd.*, 1809, p. 24 et 25, not. 37 et 38 ; — vid. *id.*, p. 26, not. 39 : « In Constantini arcu prope amphitheatrum Flavium Romæ, huc pertinere videtur congiarium populo datum, etc.... » Quæ quidem ad liberalitatem publicam pertinent, non ad ipsam institutionem alimentariam.
8. Cod. Theod., l. XI, XXVII.

De alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debent.

TIT. XXVII.

I. Imperator Constantinus A. Ad Ablavium.

« Æreis tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis scribta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius : officiumque tuum hæc cura perstringat, ut, si quis parens adferat sobolem quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste impertienda tardetur, cum educatio nascentis infantiæ moras ferre non possit, ad quam rem et fiscum nostrum et rem privatam indiscreta jussimus præbere obsequia. Dat. III id. Maii. Naisso, Constantino A. IIII et Licinio IIII. AA. coss. »

II. Idem A. Menandro.

« .... Provinciales egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos suos vendere vel obpignerare cognovimus. Quisquis igitur hujus modi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos ægre ac difficile sustentat : per fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adjuvetur : ita ut proconsules præsidesque et rationales per universam Africam habeant potestatem, et universis, quos adverterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur : atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem. Abhorret enim nostris moribus, ut quemquam fame confici vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. Dat. prid. non. Jul. Romæ. Probiano et Juliano coss. »

Quæ quidem omnia indicant institutionem ipsam hypothecariam periisse; sed judicabunt lectores an, apud gentiles, aliquid institutum fuerit dignum magis quod a christiana religione tanquam proprium usurparetur, postquam, ea fieri cœpit universi Imperii religio. Alimentaria institutio jam nulla est, liberalitas certe durat, immo pulchriore nomine charitas vocatur.

§ X. Post Constantinum, publicæ liberalitatis munera, tanquam sua, Christiani suscipiunt, longumque interest temporis intervallum priusquam paganorum stimuletur æmulatio. Christianos imitando secutus Julianus [1]

1. Julianus, Epist. ad Arsacen, Galat. pontific., p. 429, C., ed. Spanh. — Cf. p. 291 et sq.

eleemosynas commendat. Paganorum pauperes simili cura ac suos alunt Galilæi ; erubescant deorum pontifices : « .... Αἰσχρὸν γὰρ εἰ τῶν μὲν « Ἰουδαίων οὐδεὶς μεταιτεῖ· τρέφουσι δὲ οἱ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν « καὶ τοὺς ἡμετέρους· οἱ δὲ ἡμέτεροι τῆς παρ' ἡμῶν ἐπικουρίας ἐνδεεῖς φαίνονται. » Ibidem valetudinariorum (νοσοκομείων) mentionem facit. Tum in unaquaque civitate ædificia, publica hospitia, seu, græce, ξενοδοχεῖα eriguntur. Ibi hospes recipitur quisquis inopia laborat, nullo fidei habito discrimine : quo consilio in Galatiam frumenti modiorum triginta millia et sexaginta millia vini mittit imperator.

Historiam alimentariorum non ulterius sequar. Ingruentibus barbaris, novus surgit rerum ordo. Obruta Veleiatium civitas evanescit : titulumque alimentariæ historiæ pretiosissimum usque in sæculum XVIII^{um} conditum terra servat.

PARS TERTIA.

DE UTRAQUE TABULA.

CAPUT I.

TABULÆ VELEIATIUM EXPLANATIO.

Veleiatium Tabula, in Farnesio palatio collocata, in ædibus Musei Antiquarii parietem unum tota implet, sexque litterarum ordines cum dimidio habet, quorum quisque centum et quatuor constat versibus.

§ I. Duo sunt in hac Veleiatium Tabula tituli obligationum. Alter scriptus est in sex columnis, adjectis etiam primis septimæ versibus; alter vero in septima. En prioris initium, explicatis scripturæ compendiis, exhibemus[1]:

« Obligatio prædiorum ob sestertium deciens quadraginta quattuor milia, ut, ex indulgentia Optimi Maximique principis imperatoris Cæsaris Nervæ Trajani Augusti Germanici Dacici, pueri puellæque alimenta accipiant : legitimi, numero 245, in singulos, sestertios 16 nummos; fiunt sestertium 47 040 nummum; — legitimæ, numero 34, singulæ, sestertios 12 nummos; fiunt sestertium 4896; — spurius 1, sestertios 144; — spuria 1, sestertios 120. Summa sestertium : 52 200, quæ fit usura 5 0/0 sortis suprascriptæ. »

Ex superiore titulo, datam ab imperatore pecuniam sestertium 1 044 000 nummum fuisse constat; quæ summa nihil est nisi pars ea pecuniæ quæ erat obligata de integro fundorum pretio, de quibus in pactione agitur, pignori opposita, vel hypothecæ, ut hodierno utar vocabulo.

Usura quincunx horum HS 1 044 000 n. annua HS 52 200 n. est; quæquidem annua pecunia pueris et puellis pauperibus datur.

Isti autem pueri, legitimi 244, legitimæ 34, spurius 1 et spuria 1, id est, ut omnes uno amplectar numero, 280, singulis mensibus HS 4896 n.; annis singulis HS 52 200 n. accipere debent.

§ II. Prima Tabulæ pactio sic se habet, explicatis scripturæ compendiis.

« Caius Volumnius Memor et Volumnia Alce, per Volumnium Diadu-

1. Cf. Titulum ipsius inscriptionis.

menum libertum suum, professi sunt — fundum Quintiacum Aurelianum, collem Muletatem cum silvis, — qui est in Veleiate, pago Ambitrebio; adfinibus Marco Mommeio Persico, Satrio Severo et populo, HS 108 000. Accipere debet 8692 sestertium nummum et fundùm suprascriptum obligare[1]. »

In hoc titulo, C. Volumnium Memorem videmus, sui ipsius et conjugis Volumniæ nomine, per libertum suum Diadumenum[2], profiteri fundum suum qui Quintiacus Aurelianus dicitur, addito colle Muletate cum silvis adjacentibus, quique HS 108 000 n. est; quo de fundo hypothecam deducit HS 8692 n., quippe qui hanc pecuniæ summam præsentem ab imperatore acceperit; atque, ut Cæsaris isti nummi salvi fiant, fundum suum Volumnius oppignerat. Pecunia igitur, quam in puerorum alimenta quotannis solvere debet, hæc est HS 434 $\frac{6}{10}$, quæ quidem usura in Tabula non habetur inscripta. Ille autem fundus prædiis M. Mommeii Persici et Satrii Severi, atque loco publico terminatur. Inde patet istis in hypothecariis pactionibus eamdem atque in censuali professione usitatam fuisse formam[3]. Sed quid hoc vocabulo POP. designari vere dixeris? Muratorius, Henzenius et, ni fallor, ipse Mommsenius *viam* significari arbitrantur. Attamen Henzenius non de *via* ipsa sed de *itineribus* pagorum vel municipiorum potissimum agi censet. Quibus autem nititur argumentis, ea satis magnam fidem habere videntur[4]. In operibus agrimensorum de itineribus populo præstandis, ut ait Henzenius, sæpissime fit mentio. Idem doctissimus vir verba ista frequentissime usurpata in Libro Coloniarum[5] commemorat : « *Iter populo* debetur » aut « non debetur ; » hæc autem a Frontino[6] excerpit : « Omnis limes (secundum legem colonicam) *itineri publico* seruire debet ; » atque hæc etiam ab Hygino[7] « Per hos (decumanum et cardinem

1. Cf. inscriptionem ipsam. Col. I.

2. « Emptio et inter absentes contrahi potest et per nuntium et per litteras. » Paulus. Digest. XVIII, I, 1.

3. « .... Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur : nomen fundi cujusque et in qua civitate et quo pago sit et quos duos vicinos proximos habeat.... Omnia ipse, qui defert, æstimet. » Dig. L, XV, 4.

4. Henzen., § XVII.

5. Cf. Sicul. Flacc., De condicionibus agrorum. Gromatici veteres ex recensione Caroli Lachmanni. Diagrammata edidit Adolphus Rudorffius. *Berolini*, 1848. Ego in Sicul. Flacc., p. 146, hæc lego : « .... Quæ non uniuerso populo itinera prestari uidentur, sed eis ad quorum opera, et eis ad quorum agros per eas uias peruenire necesse est. »

6. De Controversiis agror., *Ibid.*, p. 41.

7. De limit. constit., *Ibid.*, *id.*, p. 168.

quos secundum terra divisa erat) *iter populo* sicut per *uiam* publicam debetur : id enim cautum est lege Sempronia et Cornelia et Iulia. Quidam ex his latiores sunt quam ped. XII, uel ut hii (*sic*), qui sunt per *uiam* publicam militarem acti : habent enim latitudinem *uiæ* publicæ. » Ex quo patet discrimen aliquod fuisse inter *viam* et *itinera*. Quin-addit ipse Henzenius verbum POP. sæpius usurpatum fuisse quam ut ad *viam* publicam pertineret, eoque designari vult *itinera* municipalia quorum ipse conditionem ex Siculo Flacco [1] describit.

Alia vero ex parte, verbum POP. adscribit Cara *fundis domino vacantibus*, qui populo Romano vel civitati tribuerentur, cujus rei hoc sumtum a Siculo Flacco [2] profert argumentum : « Postquam ergo maiores regiones ex hoste captæ uacare cœperunt, alios agros diuiserunt adsignauerunt : ita remanserunt alii ut tamen populi Romani essent, ut est in Piceno et in regione Reatina, in quibus regionibus montes Romani appellantur, nam sunt populi Romani, quorum uectigal ad ærarium pertinet. »

Quod si, legendis agrimensoribus diligenter attenderis, nihil obstare videtur quin vocabulo « *populus* » quidquid populi civitatis juris esset interpreteris. Hoc etenim nomen, mea sententia, sibi vindicant et *itinera*, et *viæ publicæ*, et *agri publici*, atque omne prædium quodcumque omnium est indivisum, et quod ad privatos non pertinet. Etenim cur « *populus* » vocabulum quod nihil certi in titulis significat, non et ad itinera pertinuerit non video, aut ad municipii prædia publica, cum utraque populi pariter essent. Quod si hujus vocabuli significatio duplex non fuisset, verisimile est propriam suam appellationem rei non defuturam fuisse. Cara autem *publicos fundos* tantummodo, *itinera* Henzenius (quibus addam et ego *viam publicam*), vocabulo isto significari censet ; ego vero censeo suam utrique significationi auctoritatem esse, eodem verbo utramque contineri potuisse. Etenim in titulo quem exhibet Zellius, de quodam loco agitur *ad Martis* templum sito juxtaque viam Appiam ; quum vero templum nuper demonstratum sit admodum prope Appiam portam situm

1. Si vocabulo proprio uti volumus, hæc itinera *vicinales viæ* sunt ; in Siculo Flacco sic legitur : « .... Muniuntur, per pagos (uicinales uiæ), id est per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, ut comperimus, unicuique possessori per singulos agros certa spatia assignantur, quæ suis impensis tueantur. » De condicionibus agror., p. 146, edit. Rudorffii.

2. *Id.*, *ibid.*, p. 136.

fuisse; ergo fieri potuisse non videtur ut ibi, adeo Romæ mœnibus proxima alia via fuisset præter Appiam, quæ quidem in hoc titulo inscribitur. En adest hæc inscriptio[1]:

SALVIA C · F · MARCELLINA · OB · MEMORIAM · FL · APOLLONII · PROC · AVG · QVI · FVIT · A · PINACOTHECIS · ET · CAPITONIS · AVG · L · ADIVTORIS · EIVS · MARITI · SVI · OPTIMI · PIISSIMI · DONVM · DEDIT · COLLEGIO · AESCVLAPII · ET HYGIAE · LOCVM · AEDICVLAE · CVM · PERGVLA · ET · SIGNVM · MARMOREVM · AESCVLAPII · ET · SOLARIVM · TECTVM · IVNCTVM · IN · QVO · POPVLVS · COLLEGII · S · S · EPVLETVR · QVOD · EST · VIA · APPIA · AD · MARTIS · INTRA · MILLIARIVM I ET II · AB · VRBE · EVNTIBVS · PARTE · LAEVA · INTER · ADFINES · VIBIVM · CALOCAERVM · ET · POPVLVM ·

Jam obligatio prima, id est C. Volumnii, repetenda est, ut illius explanationem absolvam. Hic igitur commemorabo Lopesius[2] quomodo hæc verba intellexerit : *Accipere debet*, quæ quidem eo judice non indictam fenerationem, non impositam ipsam obligationem fundorum possessoribus, sed mutuam esse, sicut in omni pactione, denuntiant.

Omnes Tabulæ pactiones non mihi in proposito est recognoscere : quæ quidem quinquaginta et una numero sunt. Quo tamen melius legentium mente percipiantur, de pluribus certe pactionibus pauca notabo.

§ III. Si secundam pactionem, quæ cum M. Virio Nepote facta est, attendimus, eum fundos suos, *deducto vectigali*[3], professum esse noscimus; si qua fundus obligatione priori tenebatur, sive de certis tributis, sive de reditibus deducendis, sive etiam de aliis alimentariis prioribus agebatur, semper, *deducto vectigali*, fundus quanti esset æstimabatur. Tum scilicet eo minoris totus fiebat quo major ea sortis pars erat quæ fuisset prius oppignerata. Itaque in illa pactione, quum M. Virius Nepos prædia sua HS 310 545 profitetur, quidquid sortis fuerat prioribus vectigalibus obligatum, hac formula : « *deducto vectigali*, » detrahitur. Ita per integræ summæ (id est HS 310 545) obligationem, imperatori debita fides (i. e. summa HS 25 353) in tuto erat.

1. Delectus inscriptionum Romanarum cum monumentis legalibus fere omnibus. Edidit Carolus Zell, professor universitatis Heidelbergensis. *Heidelbergæ*, 1850. Acta collegii Æsculapii et Hygiæ, 385. — Orelli, n. 2417.

2. Bullettino dell' Instituto di corrispondenza archeologica, ottobre e novembre 1843. Al sig. conte B. Borghesi.

3. Col. I, l. 5.

Hoc præterea, in eadem pactione, animadverti potest, in unius cujusque fundi æstimatione pecuniæ summas, si supputare ipsi voluerimus, singulatim majores effici quam quæ in titulo declarantur; et tamen utriusque summæ paritas quædam esse deberet, quum de rebus iisdem utraque fiat æstimatio; quod si discrepant inter se summæ, non auctor sane ille esse potest qui Tabulam sculpsit; namque hæc disparitas, cum quinquaginta unaque pactiones in Tabula sint, apud novem et viginti ex illis reperitur. Quod quidem infra explanare, atque inde deducere qui fuerint pagorum situs, conabor.

§ IV. In tertia pactione, videmus T. Nævium *colonias II* obligare. Quod vocabulum quid significet nobis sic exponit Columella : « Colonia agricolationis locum aratorisque officinam significat[1]. »

§ V. In quinta pactione, cum M. Antonio Prisco facta, « Atilianum fundum cum silvis *communionibus* obligat[2]. » Scilicet *communiones* dicebantur terræ quarum ea erat conditio ut communes semper manerent; quarum nobis originem conditionemque indicat Hyginus[3] : « Multis coloniis immunitas uicit agri assignationem; et quum plus terræ quam datum erat superesset, proximis possessoribus datum est in commune, nomine compascuorum. » Monet ipse auctor ne illas easdem atque « pascua publica coloniæ » fuisse putemus.

§ VI. In decima pactione[4] M. Vibius fundum Mucianum Veturianum cum *meride* profitetur. Duplex ibi occurrit explanatio : Sic Forcellinius[5] interpretatur : « *Meris*, *idis*, f. μερίς, agri pars a fundo divisa, eidem tamen addita et subjecta : a μείρω, divido (Tab. alim. Vell. a Lama edita, col. 7, l. 15, et col. 4, l. 38, et col. 6, l. 86). » Ad comitis vero Asquinii sententiam potissimum accedo, qui, quum vocabulum *meris* in lingua celtica paludem significet, de palude in Tabula agi sive potius de quibusdam locis palustribus arbitratur.

1. Vid. ap. Columellam, XI, I, § 23.

2 Col. II, l. 14.

3. Hyginus, p. 201. De Limitibus const. edit. Rudorffii. Gromatici veteres. *Berolini*, 1848. — Cf. Frontinum : « Relicta sunt et multa loca quæ ueteranis data non sunt. Hæc uariis appellationibus per regiones nominantur : in Etruria communalia uocantur, etc. » De Controversiis agrorum, p. 48. Ead. Edit.

4. Col. II, l. 14.

5. Totius latinitatis Lexicon, consilio et cura Jacobi Facciolati, opera et studio Ægidii Forcellini, alumni seminarii Patavini lucubratum, etc. *Schneebergæ*, 1831, editio in Germania prima.

§ VII. In undecima pactione, a Sulpicio Vero facta[1], apparet vocabulum Lucensium *Respublica*. Ex Henzenii sententia, *Respublica* haud dubie *publicum agrum* significat[2]. Sed quid esse *agrum publicum* dicam? *Agrum* nempe *civitatis*, id est terras omnes quas quidem civitas proprias ac peculiares habet. Harum aliæ *vectigales*, aliæ *non vectigales* censentur, ut fidem faciunt ista Pauli verba[3]: « *Agri civitatum* alii *vectigales* vocantur, alii *non*. *Vectigales* vocantur qui in perpetuum locantur, id est hac lege, ut tamdiu pro illis vectigal pendatur, quamdiu neque ipsis, qui conduxerint, neque his, qui in locum eorum successerint, auferri eos liceat. *Non vectigales* sunt, qui ita colendi dantur, ut privatim agros nostros colendos dare solemus. Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem adversus quemvis possessorem : sed et adversus ipsos municipes. » Mihi vero videtur Henzenius vocem *respublica* nec satis diligenter, nec satis apte definiendo explicuisse. Hoc ego vocabulo designari opinor *agri publici terras a civitate*, cujus propriæ et peculiares erant, *dissitas*, cujus quidem rei præsens cernimus exemplum, quoniam Lucæ civitatis terras in agro Veleiæ sitas fuisse videre est. Porro qui terras *vectigales* conducebant, omnia sibi vindicabant ipsius possessoris jura; ac, tum pactionis perpetuitate, tum eo facto quod ille qui agrum conducit *possessori* vero plane similis esset, ea fiebat *vectigalis terræ* conditio, ut nihil eveniret incommodi, si longe abesset ab illa civitate, cujus in potestate versabatur. Idem vero de *terris non vectigalibus* haud recte dixeris : terræ enim illæ quas *ager publicus* amplectitur, seu *vacuæ terræ*, seu *communiones*, seu *terræ non vectigales* iisdem, ut Paulus ait, conditionibus conductæ, quibus privatorum agri, nec dissitæ a civitate, nec ab illa omnino separatæ esse debebant.

Mea igitur sententia, vox *respublica*, ut affirmat Henzenius, *agrum publicum* significat : ego vero adjecerim : *partem illam agri publici quæ e terris vectigalibus constat.*

Jam autem animadvertam, vocabulum solum *Lucenses* et *Lucensium rempublicam* significare.

1. Col. II, l. 20.
2. Henzen. Annal., 1845, § XVII.
3. Dig., lib. VI, tit. III. Paulus. L. 21, ad edictum.

§ VIII. In decima tertia pactione, obligationem fundorum M. Mommeii Persici, quæ quidem magni momenti erat, a Cornelio Gallicano [1] factam fuisse videmus, qui, ut ostendit Burghesius atque jam ipse commemoravi [2], Præfectus Alimentorum erat, eo scilicet fungebatur munere quod, regnante Trajano, ad clarissimos viros pertineret, quodque curatorum etiam officio anteponeretur. In Tabula Veleiatium horum clarissimorum virorum nomina tum demum mihi inscripta fuisse videntur, quum de maximis obligationibus ageretur. Ibi enim agitur de fundis qui summatim HS 1 180 600 æstimantur et pro HS 94 765 obligantur.

§ IX. In quarta decima pactione [3], Albius Secundus fundum Julianum cum *figlinis* obligat. Terra autem sic vocabatur, in nostra Tabula, unde figlina materies sumebatur.

§ X. In sexta decima pactione [4], cum C. Cœlio Vero facta, Cornelium Gallicanum Pomponiumque Bassum videmus jam prius ejusdem Cœlii Veri fundos oppignerasse.

§ XI. Septima et decima pactio [5] cum L. Annio Rufino facta est a Pomponio Basso, qui, imperante Trajano, ut Cornelius Gallicanus, Alimentarii Præfecti munus gerebat. Quod quidem majorem mihi fiduciam addit opinanti a præfectis maximi momenti obligationes fieri solere; ibi etenim L. Annius Rufinus HS 1 014 090 fundum suum profitetur, jam HS 83 950 obligatum.

In eadem pactione [6] ista leguntur : ITEM · SALTVM · SIVE · FVNDOS · AVEGAM · VECCIVM · DEBELIS. Vocabulum autem *debelis* et in nonnullis pactionibus Tabulæ videre est, et alii alio modo interpretantur. Sic Forcellinius : « Debelus, i, m. locus pascendo non aptus, non pecoralis, a *de* præposit., seu particula privativa, et *bela*, oves, ut dixere veteres Latini, teste Varrone (Tab. alim. col. 3, l. 3; — col. 4, l. 39; — col. 7, l. 37). » Ego vero opinionem comitis Hieronymi Asquinii magis probo, qui huic vocabulo originem Celticam vel Ligurensem adsignat et *debelis* agrum septum esse putat. Nonnulli contra interpretantur : *Debelis* incultum solum esse.

1. Col. II, l. 37.
2. Vide *supra* : pars II[a], cap. II, § x.
3. Col. II, l. 89.
4. Col. III, l. 11.
5. Col. III, l. 53.
6. Col. III, l. 72.

Locum enim ex Ennio Nonius Marcellus affert in quo sensus ille significatur, — quanquam apud Ennium non *debelis* sed *debilo* scriptum erat, — et hæc quidem interpretatio Forcellinii opinioni propius accedit; ego vero intelligere non possum quæ obligatio de agro admodum inculto fieri potuerit.

§ XII. In pactione vicesima secunda, cum C. Volumnio Epaphrodito facta, leguntur « loco agrina [1], » id est agellus secundum Lamam.

§ XIII. In vicesima octava pactione, cum Cn. Antonio Prisco facta [2], comperimus eum obligavisse fundum Vorminianum Precele « cum jure Appennini Areliasci et Caudalasci et communionibus.... » De eo jure en adest Lamæ [3] explanatio : « Questo diritto poi è attivo per li padroni delle mandre, « come passivo per li proprietarii di fondi, su' quali devono queste passare « ne' tempi stabiliti per andare a que' pascoli ; » quæ quidem opinio non certa mihi videtur; credi autem potest ibi de *lignandi jure* agi [4]. Quidquid id est, huic juri aliquid, ut ipsi fundo, pretium inerat, quoniam Cn. Antonio Prisco illud licebat obligare.

§ XIV. Trigesima prima pactio cum Cornelia Severa a Cornelio Gallicano facta est [5]. Itaque magni est momenti quum HS 1 158 150 fundos professa sit, et ii quidem pro HS 91 110 obligati sint.

§ XV. In quadragesima tertia pactione [6], a colonis Lucensibus facta, res mancipi ab obligata professione *deductas* fuisse videmus. Jam autem, quum mihi Lama nihil de ea re omisisse in interpretatione sua videatur, satis mihi erit eam proferre :

« .... Sotto il nome di *manceps,* s'intendeva chi comperava, o pigliava « ad affitto terreni dal popolo ; chi acquistava a denari i beni de' proscritti, « e chi alienava i proprii : *mancipes* dicevansi i principali pubblicani, gl'is- « pettori delle poste, delle saline, e gli essattori de' pedaggi. Sotto quello poi « di *mancipium* comprendevansi nel suolo italico i beni immobili sì *rustici*, « come campi ecc., che *civili*, come le case. Mancipio chiamavasi pure il « diretto sulle strade non postali, su' viottoli di comunicazione, e *vuota-* « *gione*, e sugli acquidotti : in fine i servi e le bestie da carico e da giogo,

1. Col. IV, l. 43.
2. Col. V, l. 21.
3. Lama. Op. supra script., p. 34.
4. Walckenaer, Géogr. des deux Gaules, t. II, p. 464 et suiv.
5. Col. V, l. 55.
6. Col. VI, l. 76.

